

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opuscuvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,
Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

V. Ad Virum summe Rever. Amplissimum Eruditissimumque, Dn. D. Gvst.
Georg. Zeltnervm, Theologum Altorf. Celeberrimum, Dissertatio, [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

V.

Ad Virum summe Rever. Amplissi-
mum Eruditissimumque,

Dn. D. GVST. GEORG.
ZELTNERVM,

Theologum Altorf. Celeberrimum,
DISSERTATIO,

Quæ tenue spicilegium sistit ad vi-
tam Io. LUFFTI, Typographi & Consulis
Wittenbergensis, adiecta Historia Bibliorum
versionis Germ. Lutheri, aliorumque
eius librorum, nuper ab
illo editam.

*Vir summe Reverende, Celeberrimi-
que.*

Nihil opus esse arbitror, ut , dum leves
hasce ad vitam *Io. Luffti*, præclara
opera, & non sine multo labore, sed & nec
sine magno rei sacræ & literariæ fructu, abs
Te editam, atque alibi(a) iam merito lau-
Tom. I. Fasc. II. Aa datam,

(a) In Sylloges huius Fasc. I. Sect. IX. p. 213.

datam , accessiones publice legendas exhibeo, institutum meum verbose apud Te excusem, aut veniam audaciæ multis exorare contendam. Novi enim candorem tuum, & grato prorsus agnosco animo, quod me ad non negligendas eiusmodi observationes monitis & exemplo tuo idem extimulare olim volueris , cum in Academia vestra per plures annos dexteritate tua, Präceptor colendissime , frui contigit. Nec loci huius est, neque temporis, ut publice prædicem, quantum ab illo tempore TIBI debeam, quod adhuc privatis literis abunde , nec satis tamen, facere allaboravi. Nunc saltim id Te rogo, VIR humanissime, ut extemporales quasdam , adeoque perquam exiguae observationes, quæ inter perlustrandum vitam *Io. Lufftii*, quam liberaliter mihi transmittere voluisti, natæ sunt , æquo, quod facis, animo legere, & examini tuo subiicere haud digne-
ris. Profecto dici non potest, quantam ex eius lectione voluptatem, cum plurima utilitate coniunctam, persenserim; neque ego solus sum, qui gratias eo nomine TIBI debere velit, obstrictum TIBI reddidisti, quicquid est eruditorum, historiæ Reformatio-
nis

nis & temporum eam secutorum literariæ, ut
par est, amantium. Age ergo, **VIR** eruditissime, & spicilegium meum ad messem tuam
copiosissimam serena fronte excipe. Erunt,
ita mihi non iniuria persuadeo, erunt, in-
quam, nonnullæ ex meis observationibus,
quæ **TIBI** aliisque forte lectoribus non
prorsus ingratæ existent, iis præsertim in
locis, in quibus **Tu** ipse maiorem forte lu-
cem requirebas. Si plus temporis mihi ad
hanc opellam rite perficiendam suppedita-
rasset, non ita ieunam oculis tuis sisterem;
sed voluisse interim, satis sit, & si non facul-
tas, voluntas saltem haud improbanda. For-
te alio tempore plura **Tecum** & magis elabo-
rata privatim communicare licebit, imo alii
viri me longe doctiores & eiusmodi subsi-
diis instructiores, quos ad symbolas suas
conferendas humaniter invitasti, inopiam
meam large compensabunt. Titulum ergo
libri, quem alicubi dilucidandum sumsi,
integrum, si placet, hic recognosce:

Kurz, gefaßte Historie der gedruckten Bibels
Version, und anderer Schriften *D. Martini*
Lutheri, in der Beschreibung des Lebens und
Fatorum **Hans Luffts**/ berühmten Buch-
druckers

Aa 2

druckers



druckers und Händlers zu Wittenberg / auch anderer dasigen benachbarten Typographorum , an (Tit.) Herrn Leonhardt Lufft / wohl verdienten Stadt- Pfarrer zu Gräfenberg gestellet / und mit vielen Anmerckungen erläutert von Gustav Georg Zeltner , D. P. P. und Past. Nürnberg und Altdorff / bey Joh. Dan. Eubers sel. Erben. A. 1727. in 4t. pl. 15.

E regione tituli cōspicitur effigies *Ioan. Lufftii*, cum eius insigni typographicō superne addito ; infra hæc verba leguntur :

IOHANNES LVFFT , Typographus & Consul Wittebergensis. Natus A. 1495. d. — Den. An. 1584. d. — Ex collectione Friderici Roth-Scholzii Nor.

Ad hæc conf. p. 102. sqq. & 107. ubi de munere eius publico , quo Wittebergæ funditus est , fusiū ipse egisti , VIR doctissime , & ex Balth. Mentzii Epitaph. Witteb. annum & diem Lufftii emortualem , 1584. d. 2. Sept. demonstratum dedisti.

Ad pag. 2. not. (b)

Hic *Sam. Lufftii*, & *alius lo. Lufftii* mentionem iniicis , & p. 97. de eodem *Sam. Lufft* & *Emanuele Lufft*, fratre ipsius, agis. His addo duos alios *Petrum & Arnoldum zum Lufft* tempora Reformationis notabili intervallo antegressos , quorum meminit *Christianus Vrsti-*



Vrſtissius in Epitome Historiæ Basiliensis p.
84. 85. ubi hoc Epitaphium exhibet:

D. O. M. S.

*DN. PETRO ZVM LVFT, PONT. iuris
Doctori, Basiliensiſque Canonico, doctrine
& integritate vitaſ insigni, qui inter ca-
tera pietatis opera, propiorum manuum fa-
lute, quatuor Missas in hac beatiss. Mariæ
ara perpetuo singula quaq; hebdomadacan-
tari instituit: ARNOLDVS ZVM LVFT
Doctor, Patruo ſuo pientiſſ. ac de ſe bene
merenti, poſuit.*

Ad pag. 3. not. (d)

Locum ex Laur. Suri Comm. rerum in or-
be geſtarum, affers hic ex edit. Colon. 1686. 8.
Vti de hac editione TIBI uſurpata non du-
bitaverim, ita aliis adiici ea potest à Cel. Fa-
bricio adductis in Bibl. Gr. Vol. XII. p. 196.
Mea editio Colon. 1602. 8. apud Arnoldum
Quentelium impressa, eadem pag. 119. ad
a. 1522. locum illum refert; ſed nec huius
editionis Fabricius ibi meminit, licet aliam
ibid. 1603. 8. excuſam, excitet, quam non
aliam à præcedente eſſe, legitur in Bibl. Brem.
Class. VIII. Fasc. I. n. XII. p. 177. Cæterum

A a 3

cum

cum ipso Surii loco, Lutheranorum typographis iniquo, conferri potest alius, argumenti non prorsus dissimilis, quem Io. Cochlaeo maledicentia sua expressit. En verba eius: *Catholici dolis vestris uti non solent. Non enim vetitis & famosis libellis agunt. Ideo non opus est impressoribus eorum, ut hereticorum locum in calce ementiantur, quod vestri faciunt, Vittenbergae ascribentes plurima, quæ alibi sunt excusa.* Extat hic locus lit. b. in confutatione abbreviata Ioh. Cochlei, adversus Didymum Faventinum Philippi Melanchthonis, olim scripta, nunc primum edita, in admonitionem fidelem Catholiconum apud exteros, Lipsiæ, excudebat Michaël Blum, 1534. in 4t. pl. 6. Quo libello satis in Melanchthonem, aliosque eius etiales, iniurioso, hodie vero paucissimis cognito, alibi forte dicendi locus erit.

Ad pag. 5. not. (g)

De Martini Pollichii Mellerstadii & Conradi Wimpinæ scriptis controversis, agit etiam Vir Clarissimus Christian. Gotthold Wilisch, in vita (b) Wimpinæ §. IX. p. 13. sqq. quam

(b) Hic etiam p. 18. sqq. de Bohuslao de Hassenstein nonnulla scitu digna leguntur, quæ supra in p. 310, 311, annotare oblitus sum.



quam huius viri docti Commentario Poëticō de Alberti Animosi, Saxonum Ducis, Expeditionibus bellicis, à se iterum in lucem protracto, & Altenburgi 1725. 8. edito, præmisit:

Ad p. 6. med.

Der Augustiner Prior in dem Wittenbergischen Closter / dessen Nahme sonst Johann Beisger gewesen) Rectius scribendum esse nomen eius *Eberhard Brisger*, Tū ipse bene observasti in Postscripto commentationis tuæ, p. 112. Agit de illo Seckendorfius in Hist. Luth. pas- sim, vid. Indicem voce Brisgerus ; qui & Lib. I. §. CXXVIII. in Addit. p. 214. testatur, hunc Eberh. Brisgerum, comendante Wen- ceslao Linccio, 1525. Norimbergam revoca- to, Senatum Altenburgensem ad Pastoratus munus, suffragante Lutherò, ab Electore Io- hanne impetrasse, una cum Ge. Spalatino, qui primum locum & Superintendentis (c) munus obtinuit. Elogium Eberhardi Bris-

Aa 4 geri

(c) Vnde recte scribit Ven. Albertus Meno Ver- poortennius in vita Venceslai Linci, Sacris su- perioris ævi Analectis, Coburgi 1708. 8. edi- tis, præfixa, p. 22. Georgio Spakatino sacris Al- tenburgensibus præfecto, socium EBERHAR- DVM BRISGERVM adiunctum esse, A. 1525.



geri reperitur quoque in Cl. M. Frid. Gott-
helfff Gotteri Elogiis (d) clarorum virorum,
qui Altenburgum nostra patrumque me-
moria tum scriptis, tum egregiis meritis
illustrarunt. Cæterum cum bene p. 112.
demonstrasti, Zeltnera venerande, non
Iohannis, sed Eberhardi prænomen Brisgero
fuisse, hinc minus accurate expressum est
nomen *Ioh. Brisger* in Indice der Secken-
dorfischen ausführlichen Historie des Luthertums/
edit. German. Viri summe Rever. D. Eliæ
Frickii', qui & Lib. I. §. CLXI. pag. 651.
idem nomen Iohannis exprimendum cura-
vit, quod tamen p. 742. & p. 2066. cum
vero Eberhardi rursus permutatum legitur.
Id hoc loco observare liceat, videri mihi
Ioh. Brisgeri nomen confusum fuisse cum
Ioh. Brismanni, quem Seckendorfius, in indi-
ce I. Franciscanum, Theologiæ Doctorem,
& post Episcopum Pomezanensem vocat,
qui & de libello quodā eiusdem agit in scho-
liis sive supplementis ad Indicem I. Histori-
cum

(d) Prodierunt Ienæ 1713. 8. & recensentur in
Act. Erud. 1714. p. 44. Exhibit Gotterus ibi-
dem etiam Georgii Spalatini, & Wenceslai
Linci Elogia.



cum, voce Brismannus. Est mihi libellus quispiam, valde gratus, in manibus, h. t. In *Cantica Canticorum, brevis, sed admodum dilucida enarratio D. Mart. Lutheri. Witenbergæ typis Ioannis Luft, An. M. D. XXXIX. 8.* plagis undecim constat, & in calce habet epistolam dicotoriam, cuius hæc est inscriptio: *Eximio viro D. IOANNI BRIESMANNO, Sacrae Theologiae Doctori, ac Evangelii fidelissimo Praeconi, Koningsbergæ in Borussia, (e) Domino & amico suo. VITVS THEODORVS.* Memorat hic Vitus, D. Venceslaum (Lin-cum) virum & obætatem ac sanctimoniam vitæ reverendum, & sibi in ministerio Evangelii coniunctum, cum à Brismanno rogatus esset, ut hanc operam, edendi scil. huius libelli, à Vito exigeret, diligenter officio heic suo functum esse, qui ipse *Venceslaus* in fine epistolæ, Noribergæ Cal. Aug. 1538. à Theodoro scriptæ, *Brismanno ob longam & iucundam consuetudinem gratissimus amicus dicitur.* Eodem amicitia vinculo cum & Eberh.

Aa 5

Bris-

(e) Lutheri ad Brismannum epistola quædam ad-huc anecdota, cum vita Brismanni, extat im Erläuterten Preussen / P. IV. n. 2. & P. XVII. n. 15. conf. Relatt. Innoc. 1725. p. 1025. & 1030.



Brisgerus Wenceslao Linco coniunctus fuerit, facile hinc confusio nominum oriri apud nonnullos potuit.

Ad p. 7. init.

Um einige noch rückständige Closter - Gefälle einzutreiben) Non grave fuerit hic integra verba legere, quæ apud Seckendorf. in Hist. Luth. Lib. I. §. CLXI. p. 651. ad a. 1524. edit. Germ. Frickianæ, leguntur: Es hatten alle Augustiner - Mönche zu Wittenberg das Closter daselbst / bisz auf Lutherum und den Prior Johann (besser Eberhard) Brissger / verlassen / daher auch diejenige / welche dem Closter jährlich Zinse und anderes zum Unterhalt nothiges reichen solten / an sich hielten / und nichts mehr geben wolten / so daß das Closter nicht im Stande war / die Schulden zu bezahlen/ wörüber Lutherus mehrmahlen heftigst gegen Spalatinum sich beschweret / und gebeten / daß der Thur-Fürst Einsehung thun möchte/ sich auch heraus gelassen / daß er vorlängsten schon das Closter verlassen hätte/ wo er nicht besorgen müste / es dörffte dem Evangelio/und besonders dem Thur-fürsten ein Schimpff dadurch zuwachsen / und die Feinde der Wahrheit ausgeben / als wann er aus dem Closter getrieben worden wäre / weil eine Veränderung bey ihm groß Auflschéhens machen würde. Dierweil aber der Prior (nemlich Eberhard Brissger) sich auch nicht länger wolte im Closter halten lassen / und Lutherus gar unanständig vorkam/ sich mit Zinsen eins

einsfordern zu pläzen / so übergab er in
seinem und des Priors Mahnen das Kloster mit
aller Zugehör dem Churfürsten / &c.

Ad pag. 7. med.

Den 9. Oct. oder Dom. XX. Trinit. vorge-
dachten Jahrs (1524.) hat Lutherus das Clo-
ster - Leben völlig verlassen / an welchem Sonntag
nach Galli er / Lutherus, Vormittag in der Kutte
noch geprediget / und Nachmittag in einem Rock /
ohne die Kutte erschienen.) In Bibliothecæ Hist.
Phil. Theol. quæ Bremæ prodit, Class. IV.
Fasc. V. p. 911. seqq. reperitur epistola Mart.
Lutheri, ante inedita , quam Wittember-
gæ 1524. die Vrbani, ad Wolffg. Fabricium
Capitonem scripsit Argentoratum; ibi inter
alia; *Quin ego, inquit, iam satis arbitror his
annis indulatum infirmis. Deinceps, quia in-
durantur de die in diem, liberrime omnia sunt
agenda, & dicenda. Nam & ego incipiam tan-
dem cucullum (*) abiicere, quem ad suspen-
tatio-*

(*) Implevit hoc promissum suum Lutherus, „
utpote qui 5. circiter mensibus postea d. „
9. Oct. cucullo exuto , veste , quali concio. „
natores utuntur , indutus incessit , postquam „
è cœnobio suo iam omnes fratres, præter „
Priorem, discesserant. „ Hæc in nota qua-
dam , ad Lutheri verba illustranda , subiecit
ibidem p. 912. Cel. Th. Hasæus, qui Epist. edidit.

380 V. Ad D. Gustavi Georgii Zeltneri
tationem infirmorum & ad ludibrium Papæ ha-
ctenus retinui. Hæc ille.

Idem Lutherus iam ante in tract. de Vo-
tis monasticis, Wittembergæ olim in 4. si-
ne anni & typographi mentione excusi,
Dedicatione ad Parentem suum Ioh. Lu-
therum, ex Eremo (i.e. Wartburgo) d. 21.
Nov. M. D. XXI. (quo anno & exemplum
meum impressum videtur) scripta: Sed, ait, ad
te revertar, parens mi, & iterum dico, nunquid
me extrahes (f) adhuc? At ne tu glorieris, pre-
venit te Dominus & ipse me extraxit. Quid
enim si vestem & rasuram vel gestem vel po-
nam? Nunquid cucullus & rasura faciunt mo-
nachum? omnia vestra, ait Paulus, vos autem
Christi, & ego cuculli ero ac non potius
cucullus meus? Conscientia liberata est, id
quod abundantissime est liberari. Itaque iam
sum monachus & non monachus, nova crea-
tura, non Papæ, sed Christi. Haec tenus ipse
Vir divinus.

Possideo, inter plura Lutheri sic dicta au-
to grapha antiquissima, tria scripta, quo-
rum unum 1521. alterum 1523. tertium
1524. in 4t. prodiit. Illud gerit titulum:
Doctor Martini Luthers Antwort auf Pfingst-
Tag

(f) Subintellige, ex monachatu.



Tag / den 8. Tag Aprilis, im 1521. vor Kay. Ma.
und den Churfürsten / Fürsten und andern vil der
Stend des Reichs öffentlich beschehen. In aver-
sa tituli pagina Lutheri cucullo induiti, effi-
gies cernitur, hac epigraphe:

*Æterna ipsa sue mentis simulachra Lutherus
Exprimit, at vultus cera Lucae (g) occi-
duos.*

M. D. XXI.

Alterius hæc est rubrica : XIII. Predig D.
Martin Luthers / newlich ufgangen Anno XXIII,
anhengig den vorgetruckten Syben und zwenzig
Predigen. Sampt eim Register und gemeynen In-
halt. Allein Gott zu Eer. In cuius folii quarti
altero latere eadem Lutheri cucullati figu-
ra paulo plenior reperitur, his superscriptis
verbis:

Gottes Wort bleibt ewiglich.

Tertium, 1524. impressum, hac gaudet in-
scriptione: Die zwei Episteln St. Petri / und
aine S. Jude. Geprediget / und aufgeleget durch
Mar.

(g) Intelligitur Lucas Cranach Senior, pictor
Wittenbergensis, & peritia ligno affabre effi-
gies incidendi, celebris, de quo p. 329. sqq. egi,
& infra adhuc nonnulla monebo. Confer
Lexicon Hist. Univ. Basil edit. voce Cranach.



Mar. Luther zu Wittenberg. Hic nulla amplius
conspicua est Lutheri cucullati effigies.

Ad p. 9. med.

Von welcher Pest daselbsten weiter nachzulesen)
Ipse Lutherus eodem anno 1527. ad Do-
ctorem Ioh. Hessum, Pastorem Vratislavi-
ensem, edidit libellum, cui tit. Ob man
vor dem Sterben der Pestilenz / und wer / fliehen
mûge / eyn nutzlich Büchlein newlich geschrieben
von Mart. Luther. Wittenberg M. D. XXVII.
4c. pl. 3. sine typographi mentione.

Ibid.

Daß Philippus gar von Wittenberg nach Gen^a
eine Zeitlang entwichen) Credo ego, huc potius,
quam ad negotium Visitationis, (ut Schle-
gelius quidem existimat,) pertinere verba,
in epistola Melanchthonis (h) ad Nic. Kin-
dium, Pastorem Eisfeldensem; Nos adhuc,
inquietis, IHENÆ hæremus, ac impediunt
tempestates, quo minus in Saxoniam redeamus,
quæ ubi primum erunt mitiores, accingemur ad
eter. Hæc Philippus.

Eo-

(h) Legitur in Christ. Schlegelii vita Io. Lange-
ri, in Append. n. XXI. p. 215. sq. quam Schle-
gelius 1529. scriptam putat, nos rectius forte
ad a. 1527. referri posse, censemus.



• Eodem anno 1527. Eobanus Hessus Norimberga ad Phil. Melanchthonem literas dedit, quas invenies in Camerarii libello altero Epistolarum Eob. Hessi &c. lit. C. ubi Hessus: *Audio, ait, Scholam vos Genas trans tulisse, metu pestis apud Albim exortæ, & libenter audio; cupid enim in primis te habere rationem vita & valetudinistua.* Hactenus ille.

A. 1519. adeoque octo annis antea, etiam Sax. Dux Georgius, ob pestem tum grassantem, Academiam Lipsia Misnam transferre coactus est. Vid. saepe laudata Petri Mosellani epistola ad Iul. Pflugium, in Relatt. Innoc. 1702. p. 72. — 79. & 107. — 112. quam & à Schiltero & Schulzio exhiberi, p. 320. alibique observatum a me est.

Ad p. 10. not. (2)

Enchiridii *Sexti*, Philosophi Pythagorici, & Pythagoræ verba aur. latine, excusa in officina Grunenbergi apud Augustinianos, Wittenburgi (soll aber Wittenberg seyn und heissen) An. 1514. M. Nov. Non meminere huius editionis, quæ hic ex Maittaire Ann. Typ. T. II. p. 256. producitur, Viri celeberrimi, Vrb. God. Siberus, qui Enchiridion hoc cum lucu-

luculento commentario suo, Lipsiæ 1725. 4.
recudi iussit (i) I. A. Fabricius in Bibl. Gr.
Vol. XIII. p. 645. sqq. I. C. Colerus in Bibl.
Theol. Sel. P. XIII. p. 19. 20. idem in An-
thologia T. I. fasc. I. p. 52. sqq. & fasc. III.
p. 193. sqq. Beati Rhenani editio, rara ho-
die, quæ & Ven. Sibero ad manus fuit, in-
ter libros meos extat, h. t. *Enchiridion Xysti*
Pythagorici, Rufino interprete, Sententias con-
tinens plerasque pias, & perinde ab Evangelico
instituto non omnino abhorrentes. Constat
foliis undecim in forma quarti ordinis, nec
anni nec loci mentione, neque in fronte,
neque in calce libelli, facta. Scripsit vero
Beatus Rhenanus prefationem suam, quæ
duabus paginis absolvitur, Basileæ, Cal Oct.
A. M. D. XVI. conf. quæ in Sylloges nostræ
fasc. I. p. 219. diximus.

Ibid.

Wenn Herr Maittaire (Ann. Typ. T. II.
p. 233.) schon 1512. eine von eben diesem Drucker/
doch unter dem Namen Ioh. Viridimontani,
heraus

(i) Recens. in Act. Erud. Lat. 1725. p. 353. sqq.
(non A. 1724. ut in Coleri Anthologia T. I.
Fasc. I. p. 52. expressum est) & in laudati Co-
leri auserlesenen Theol. Bibl. P. XIII. p. 1.—
32. alibique.

heraus gegebene Historiam Daretis Phrygii
anführt) Grünenbergium (†) sub isto suo
nomine, latina lingua tantum expresso, &
alios libros excludisse. testatur, haud dubie
oculatus testis, summe Rev. Christ. Frid.
Wilisch, (k) hos producens libros: *Decem
Præcepta Wittenbergensi prædicata populo per
P. Martinum Lutherum Augustinianum, Wittenbergi per Io. Viridimontium a. 1518.*
impressum mense Julio, denuo mense Octob.
eiusdem anni, 4t. item: *Der Zehn Gebot eine
nußliche Erklärung durch den hochgelehrten D.
Martinum Luther, Augustiner-Ordens/ beschrie-
ben und gepredigt geistlichen und weltlichen Die-
nern. It. Eine schöne Predigt von den VII. Tod-
Sünden, auch durch ihn beschrieben, gedruckt
zu Wittenberg durch Johann Grünenberg/ 1520.*
unde & Ven. Krafftii testimonium, à TE pro-
ductum, confirmatur, Grünenbergium usque
ad A. 1520. libros typis suis expressisse.

Ad pag. 12. init.

Vorgedachte ältere (Melchior) Lotther Buch-
drucker in Leipzig, lebte bis zur Zeit Lutheri, da
Tom. I. Fasc. II. Bb dieser

(†) Conf. Maitt. Ann. Typ. T. II. p. 146. bis.

(k) In Sylloge Auctorum Catecheticorum, quæ ex-
tat in eiusdem Iubilis Altenburgenibus, ubi
vid. p. 19. de libris à Grünenbergio impressis.

dieser das Pabstthum angegriffen/ und noch etwas darüber) Vlr. ab Hutten , in epistola , Augu-
stæ Norimbergam ad Bilib. Pirckheimerum,
Martinalibus 1518. scripta , quam Burck-
hardus in vita Hutteni P. I. p. 210. sq. ex
Pirckheimeri Oper. p. 319. exhibit; *Reliqua*,
ait, Lipsim, *quam potes cito perferenda cura*,
in ædes Melchioris Lother, *apud quem ea que-*
ret Stromer. Vbi M. Lotther sen. innui videtur.

Ibid. not. (b)

Wie aus vielen/ absonderlich des bekannten
Apostatæ Georg Wicels Schriften zu ersehen/ sc.)
Spectat huc omnino quidam Wicelii libel-
lus insulsus, quem non usque quaque ob-
vium, TECUM aliquando, Præceptor Vene-
rande, Altorfii à me communicatum , ob
aliquam inde hauriendam non vulgarem
notitiam , cupide TE memini perlustrasse.
En tit. eius: *Apologia* , das ist / ein Vertei-
digs. Rede Georgii Wicelii wider seine Uffsterres-
der die Luteristen/ mit sampt kurzer Abconterfei-
ung Luterischer Secten / und Preis alter Römi-
schen Kirchen / nützlich zu lesen sc. in 8v. In fine
extat : Gedruckt zu Leipzige / Melchior Lother /
M. D. XXXV.

Ad pag. 13. med.

Johann Herrgott / und nach seinem Ableben
die



die hinterbliebene Wittib / Kunigunda mit Mahmen / eine Buchdruckerey in Nürnberg angerichtet /) Duos possideo libellos, qui eodem anno ex Kunigundæ officina olim prodiere. Alterius hic est tit. Vom Allmosen geben / ein Sermon M. Caspars Adler ic. mit D. M. Luthers Vorrede. 4t. M. D. XXXIII. In calce lego : Gedruckt zu Nürnberg durch Kunigunda Hergotin. Alter est Io. Brentii nostri , venerandi nobis nominis, h. t. Wie man sich Christlich zu dem Sterben bereyten sol. Das man Gott recht schaffen dienen sol. Wie das übel nachreden für eyn schwere Sünde zu achten sey; Auf drey Sermon gestellet. Johan Brentius zu Schwebischen Hall. M. D. XXXIII. in 8. In fine est: Gedruckt zu Nürnberg durch Kunigund Hergotin.

Ibid. not. (f)

Ioh. Petreium) Hunc Cel. Maittaire Ann.
Typ. T. II, p. 386. coll. p. 584. Noribergæ
Græcam typographiam excoluisse scribit ,
& p. 389. coll. 758. præter alias libros Ari-
stophanis Plutum Græce & Latine , Thomæ
Venatorio interprete , A. 1531. Noriber-
gæ impressisse dicit. Est mihi ad manus hæc
editio in forma quarti ordinis , cui præfixa
Venatorii dedicatio ad Severinum Bone-
rum &c. Norimbergæ XIII. Kal. Aug. 1531.
Scripta. Petreium video etiam rariorem li-

B b 2

bellum;



libellum , Valentini Ickelsameri *Deutsche Grammatica*, excudisse, in 8v. in fine enim hæc habentur: Gedruckt zu Nürnberg durch Johan Petreium / anno M. D. XXXVII. Alias eodem Io. Petreii nomine gavisus etiam est Superattenderas ille Mulhusanus, qui A. 1571. 8. veterem indulgentiarum libellum (*das Römische Ablaß-Büchlein*) Romæ primum 1481. Latine , & deinceps Norimbergæ Germanice editum, recudi iussit cum præfatione sua, ex qua notabilia quædam loca viri præstantissimi W. E. Tenzelius (1) & I. C. Olearius (m) proferunt.

Das

(l) Im Historischen Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri, Cap. II. p. 108. sqq coll. p. 104.

(m) In Præfatione præmissa libello illi, cui tit.: *Historia Romana &c.* quem ob insigne de Joanna Papissa testimonium, è museo suo Gottfridus Tentzelius, Ecclesiastes Arnstadiensis, (quem nuper, nescio ubi, vitam cum morte commutasse legi,) Arnstadiæ 1722. 8. recudi fecit. In cuius calce hæc lego „ Impressum (scilicet exemplum, ex quo Tentzeliana editio accurate excusa est) „ Rome per Magistrum STEPHANVM PLANCK, Pataviensem. „ Anno Domini M. CCCCXCIX. die XI. mensis



Ad p. 15. not. (1)

Dass die besten Literatores — in Wittenberg — sich derjenigen Officinen, so an dem Ober-Rhein lagen, — bedienen mussten) Grato animo excepti hanc annotationem tuam, VIR doctissime, cum supra p. 303. verba Phil. Melanchthonis explicarem; *Efficiam*, ad Eob. Hessum scribentis, *ut aut hic, aut ad Rhenum cedantur.* De Heroidibus Hessi loquitur. Adeoque generatim typos Wittenbergenses raros tum fuisse, tuto confici potest. Conf. quæ mox annotabo.

Bb 3

Ibid.

„ mensis Ianuarii. Sedente Alexandro Pontifice maximo anno eius septimo.,, In fronte eadem insignia Alexandri VI. &c. conspi ciuntur, de quibus vide Cel. Th. Hafæi recensionem libelli sui Romæ 1499. 8. Germ. Ling. excusi, quem cum modo memorato Tentzeliano latino eundem prorsus esse, existimo, vid. Bibl. Brem. T. VIII. p. 526. sqq. (in cuius tamen pag. 527. pro anno M. CCCCXIX. rescribe M. CCCCXCIX.) Forte in multis illi similis est adductus libellus à Io. Petreio Mulhusæ 1571. 8 prelo iterum subiectus, quem Olearius l. c. rarissimum dicit, cui tit. *Abläß-Büchlein. Erzelunge des Heilthums / Gnade und Abläß aller Kirchen in Rom / &c.* ad quæ verba



Ibid.

Zu Straßburg aber hebten ihr Haupt empor
Wolfg. Cephalæus oder Kephel sc.) Extat in-
ter libros meos *Novum Testamentum Græce.*
Argentorati, apud Vuolfium Cephalæum A. 1524.
8. uti titulus habet, in fine additus est mensis
Iunius. Eleganti huic editioni, quæ, quod
non ignotum est, distinctionibus capitum, in
versus adhuc caret, Wolfius Cephalæus typog-
raphus Argentin. præmisit præfationem ad
Lectorem, in qua inter alia; *Ego, inquit,*
alienissimus esse cupiens, ab istiusmodi pver-
sissimo studio, novam, quam instituo, offici-
nam, quamque exteris potissimum linguis ex-
ornare animus est, Fabritii Capitonis consan-
guinei mei tum industria, tum consilio opi-
tulantibus, Christo imprimis & saluti tuæ dico,
ac perpetua dicatam esse volo, inde tibi offerens
Novum

verba conf. titulum libelli germ. ab Hafæo l. c.
recensiti Ceterum Tentzelianum opusculum
vellem nuper ad manus suisset Cl. A. M. Gö-
ringio, cuius docta ad Th. Hafæum Epistola
huius argumenti extat in laudata Bibl. Brem.
Class. VIII. p. 926. sqq. conf. Class. VI. p. 371.
VII. 934. 512. Nova Lit. germ. idiom. 1722.
Sect. 24. p. 247. sq. Act. Erud Lat. 1722. p. 564. sq.
Schelhornii Amœn. Lit. T. I. p. 193. 194.



Novum Testamentum, novo græco cha-
ractere, ut ipse cernis, excusum, ὥστα ἀνεγθίνει.
Proinde ubi conatum hunc nostrum, amice le-
ctor, non omnino displicuisse tibi sensero, Ve-
teris quoque Instrumenti volumina in suos di-
gesta Tomos, iisdem typis transcripturum nos,
promitto. -- (n) Argentorati ex ædibus nostris
1524. decimo Calendis Iulias. Partem horum

B 4 verbo-

(n) Liberavit fidem suam Cephalæus biennio post
editum hoc N. T. Postquam enim Anno in-
sequente 1525. Homeri Opera Græce, duo-
bus voluminibus in 8v. excudisset, teste Mait-
tairio in Ann. Typ. T. II. p. 667. ubi & docet,
Io. Lonicerum ea edidisse, & Phil. Melanch-
thoni, Præceptoris suo, dedicasse : prodire fe-
cit ex sua officina A. 1526. Biblia, Græca seu
Sacræ Scripturæ veteris novæque omnia, mi-
nimo charactere, iuxta editionem Venetam,
studio & cum præf. Io. Loniceri, quatuor voll.
in 8v. Vetus Test. editum 1526. Novum 1524.
uti hunc titulum affert Le Long in Bibl. Sa-
cra, P. I. Cap. III. p. 405. edit. Lips. & ex ea
Maittaire l. c. p. 671. Lonicerus in præfat scri-
bit, Cephalæum communibus Hervagii im-
pensis adiectum, πάντα τὰ κατ' ἔξοχὸν καλέ-
μενα βιβλία accuratissime & castigatissime
transcribi curavisse, eo modulo, quo officinæ
sue primitias, Novum Test. edidit, ut, qui-
bus



verborum priorem video etiam adduci in Le Long (o) Bibl. Sacr. P. I. C. III. p. 454. edit. summe Ven. D. Bærneri; ubi & ex Io. Millii Proleg. in suum N. T. p. 114. observatur, sequi hanc editionem pene in omnibus Hagenoënsim, ad eamque sine omni dubio excusam fuisse, undecim forte locis exceptis. Intelligitur hic autem editio N. T. Græci, quæ cum præf. Nic Gerbelii, in 4. min. Hagenoæ, typis Thomæ Anshelmi Badensis

bus videretur, totam scripturam & veterem & novam eodem charactere comparare possent, &c. referente Le Long. l. c. qui & p. 406. memorat, eadem Biblia Græca 3. Voll. in 8. Basileæ iisdem typis 1529. prodiisse, addens tamen, hanc non esse novam, sed prorsus eandem editionem, quæ A. 1526. vulgata est, eandemque quoque præfationem, cuius initium mutatum sit, omisso nomine Loniceri, & pro Luthero Hieronymi nomen appositum esse. A. 1542. Wolfium Cephalæum Argentorati Græca Biblia iterum edidisse, testatur 1577. Paulus Crellius, suo tempore id factum esse, inquiens, apud Mayerum in Hist. Vers. Germ. Bibl. Lutheri, Cap. IV. p. 52. quam tamen editionem apud Le Long l. c. non inventio commemoratam.

(o) Cl. Maittaire in Ann. Typ. T. II. p. 644. eadem verba ex Le Long Bibl. Sacra excerptis.



sis, (cuius Tū ipse paulo post, cum laude
meministi) A. 1521. excusa fuit, quamque
Le Long p. 452. sq. describit. Vnde huic
editioni meae Argentoratensi tantundem
pretii, imo plus forte tribuendum est, atque
Hagenoënsi, quam multis scatere vitiis,
ipse affirms Theologe meritissime, p. 17.
not. (o) in hac vita Io. Lufftii, cui iudicio tuo
subscribere nullus dubito, quod bene re-
cordor, à Te mihi aliquando ipsum, quod
possides, N. T. Hagenoënsē esse ostensum,
occasione controversiæ illius inter Viros
clarissimos, Tob. Eckhardum & Petrum Adal-
phum Boysenium, quorum ille in coniectu-
ris suis de codice Græco N. T. quo usus est
B. Lutherus in confienda Germanica in-
terpretatione, §. VIII. p. 16. sqq. & p. 26. pro-
batum ivit, Lutherum dicta Hagenoënsi;
hic vero in suis coniecturis de codice Græ-
co &c. illum Frobeniana Erasmi editione
usum esse, docuit. De hac docta & mode-
rata controversia conferri etiam potest sum-
me Rev. D. Buddei doctissima de origine
Socinianismi ab Ecclesiæ emendatione non
repetenda, commentatio (quam cum dua-
bus aliis, tum ab ipso editis, in benevolentiæ
tesseram è manu Ven. auctoris acceptam,

B b 5

gra-



gratissimus asservo) p. 21. 22. ubi de Lutheri versione N. T. germ. agens, ait, summam animi malignitatem aut supinam ignorantiam prodere, qui Lutherum accusant, quod verba ista i. Ioh. V. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus,* in ista versione sua omiserit. Cum enim eiusmodi usus sit codice, in quo effatum istud Ioannis non exstabat, transferre illum utique non potuisse, quod in textu græco non inveniebat. Quamcunque ergo sive Frobenianam sive Gerbelianam editionem Lutherus adhibuerit, cum in utraq; locus iste desit, Lutherο, quod eum omisserit, vitio verti nequire. Hæc Ven. Buddeus. At vero dictum hoc palmarium non haberi in Græco hoc Exemplari Hagenoënsi, testatur Eckhardus l. c. §. IX. p. 17. conf. Boysenium l. c. §. VII. p. 17. Quod & omissum est (fol. 97.) in illa N. T. editione græca, quam A. 1524. Wolf. Cephalæus (p) excudit, quam Millius putat Haganoëensem referre

(p) Ex eiusdem typographeo A. 1537. 8. prodiit etiam N. T. Versio German. sub tit. *Das Neue Testament Ihesu Christi. Gedruckt zu Straßburg bey Wolff Kophl. im Jahr M.D.XXXVII.*
cum



ferre. Quid? quod Buddeus l. c. p. 21. affir-
mat, illud nec in aliis editionibus, quæ eo
tempore (loquitur de tempore versionem
Lutheri germ. proxime antegresso) docto-
rum hominum cura prodibant, compa-
ruisse. Possideo vero & aliam N. T. græci
editionem, Basileæ apud Nic. Brylingerum
1558. 8. collatis non paucis venerandæ fidei
exemplaribus, accuratissima nunc lima, ti-
tulo teste, impressam, ubi p. 638. extat ist-
hoc dictum sanctissimum. Nondum in ver-
sus distinctum est hoc exemplum, quod le
Long in Bibl. Sacra P. I. C. III. p. 470. velut
incidenter adducit. Quando Germanicæ Lu-
theri

cum brevi ad lectorem præfatione, ubi illud
dictum etiam (fol. 139) deest. Ceterum id
adhuc de Edit. N. T. 1524. apud Cephalæum
excusa, annotare visum est, quod ea mi-
hi videatur omnino illa ipsa esse editio, de qua
Vir solide doctus M. Io. Iac. Rambach, in In-
stitutionibus Hermeneuticæ Sacræ, bonæ fru-
gis plenissimis, L. III. C. I. §. XII. p. 412. non
nihil commemorat, his verbis usus: „In tract.
Untersuchung etlicher Dörter des N. T. Part.
I. p. 345. observatur, locum Ioan. VII. 37. — „
40. in veteri aliqua editione Argentoratensi
 anni M. D. XXIV. ita esse distinctum: „

629



theri Versioni N. T. primum insertum sic,
disputant varie viri eruditi ; laudatus sæpe
Buddeus recentissime omnium, quod sciam,
sententiam suam l. c. p. 23. breviter his ex-
proposit verbis : *Sunt equidem*, ait, *qui pu-*
tant, ab ipso tandem Lutherò dictum hocce de-
tribus in cælo testibus suo loco insertum esse. Sed
hosce fallit certum est, quamquam & incertum sit,
quando aut a quoniam hocce dictum in versione
nostra germanica sit restitutum, & reliqua,
qui & tandem recurrit ad Frid. Ern. Kett-
neri historiæ dicti Ioannei de Sanctissima
Trinitate Lipsiæ A. 1713. editæ, Cap. XVI.
p. 198. quem omnium diligentissime hac in
re

„ εάν τις διψᾶ , ἐρχέθω πεός με , καὶ πινέτω
„ ο πιεύων εἰς ἐμὲ. καθὼς εἶπεν οὐ γραφή ,
„ ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτῶν ῥέουσας ὕδα-
„ τος ζῶντος. Nec diffitendum , hoc modo
„ verba minus impedita fluere, & commo-
„ dissimum fundere sensum., Hæc ille. At
vero aut vehementer egomet fallor, aut do-
ctus illius observationis auctor aliam N. T.
Græci editionem Argent. 1524. procusam, ad
manum habuit; quanquam nulla alia illo an-
no ibi expressa , adhuc mihi innotuerit , uti
nec apud Le Long in Bibl. Sacr. (nisi forte in
recent. Edit. illa habeatur) & Maittaire in Ann.
Typ.



re versatum esse, ibidem testatur, quale elo-
gium vindiciis huius dicti Kettnerianis dedit
quoque D. Io. Frid. Mayerus in Histor. Verf.
Germ. Bibl. Lutheri Cap. IV. §. 8. p. 53. qui
& ipse haud parce hac de re egit. Confer,
VIR Celeberrime, ipse tuam, communi ad-
huc applausu exceptam, commentationem
de novis Bibliorum Versionibus Germani-
cis non temere vulgandis, Cap. III. §. XIV.
p. m. 82. sqq. Adde Eckhardi & Boysenii
scripta aliquoties iam laudata, utrobique p.
17. sq. & ad quos Boysenius provocat, Ma-
ium, Mastrichtum, Millium. In compen-
dio quoque omnem huius effati Ioannei
histo-

Typ. aliam reperio, qui posterior tamen T. II.
p. 644. Basileensis cuiusdam N. T. Gr. apud
Io. Bebelium 1524. 8. excusi, & à Longio in
edit. priore prætermisſi, meminit. Caſſam
vero huius meæ ſententiæ hanc affero, quod
in mea, quam, teste Cl. Rambachio, auctor
eius dissertationis adhibuiſſe videtur, editio-
ne N. T. Græci, Argent. 1524. Wolfg. Ce-
phalæi typis expressa, illa verba Ioh. VII. ---
(fol. m. 107.) longe aliter interſtincta legun-
tur. En integrum locum accuratissime ex-
cerptum: 'Εν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ
τῆς ἑορτῆς, εἰτήνει ὁ Ἰησὸς καὶ ἔκραξε λέγων,
ἰάν

historiam accurate exposuit idem D. Buddeus in Instit. Theol: Dogmat. L. II. C. I. §. XLVI. p. 356. — 363. Etiam Rev Io. Melch. Krafftius in Prodromo Hist. Vers. Germ. Bibl. p. 14. aliquando prolixe deductam illius testimonii sanctissimi historiam se datum, pollicitus est. His superaddo Cel. Maittaire in Annal. Typog. T. II. pagg. 5. 6. 276. & 621. alibique fortasse.

Ibid. in fin. § p. 16.

Um allerfleißigsten excolirten die Griechische Typographie zu Hagenau — — Th. Anselmus — und der gelehrte Ioh. Secerius von Laucha / der mit Luther, Philippo und andern gelehrtesten Männern Correspondenz hatte, — wiewohl er auch seinen Ruhm sehr beflecket damit daß er / und vielleicht nit ohne Grund / wie die Littern es augenscheinlich lehren / dem greulichen Vaganten Mich. Serve-

ἐάν τις διψᾶ, ἐρχέθω πρός με καὶ πινέτω, οὐ πι-
τεύων εἰς ἐμὲ καθὼς εἶπεν ὁ γραφὴ, ποταμὸς
ἐκ τῆς κοιλίας αὐτῷ φένσουσιν ὑδατοῦ ζῶντο.
τοῦτο δε εἶπε περὶ τῷ πνεύματος, κ. τ. λ.
Quæ interstinctio prorsus conspirat cum illa,
quam in N. T. Græci, cum annotationibus
Def. Erasmi, Basileæ apud Io. Frobenium A.
M. D. XVI. in fol. excusi, rarissima, quod con-
stat, editione deprehendo.

Serveto hūlfliche Hand geleistet / und wenigstens
das gottlose Buch de Trinitatis Erroribus zum
Druck gebracht.) Vid. de Io. Secerio Maittaire
Ann. Typ. T. II. p. 386. sq. ubi ait, illum
1527. græcam typographiam excoluisse.
Eodem anno, prid. Cal. Sept. Eob. Hessus
Norimberga ad Phil. Melanchthonem li-
teras (q) dedit, ubi, inter alia; *Oro te, in-*
quit, mi Philippe, fidele consilium des, cuinam
tu putas τὰ ἐιδύλλια mea inscribenda, etenim
Secerio iam in has nundinas misi editioni desti-
nata in proximas vernales, verum nondum cui-
quam inscripta, & forte tibi (nam hoc s̄epe co-
gito) nisi tu aliter iubes, inscribam & dedica-
bo carmine non epistola. Nunquam enim satis
placuit mihi poëma dedicare epistola stilo pedestri
scripta, præcipue ab ipso autore, qui tamen mos
receptus est, ut video, hisce temporibus. &c.
Idem Eob. Hessus in alia epistola, proxime
sequente, ad Euricium Cordum, Nurn-
bergæ X. Cal. Febr. 1531. missa: *Existimo,*
ait, & te aliqua meorum nugarum vidisse, cum
& Secerius quedam corruperit verius, quam
excuderit. *Inter quæ mea Idyllia, Deum im-*
mortar-

(q) Quæ extant in Camerarii libello altero Epis-
tolarum Eob. Hessi &c. lit. C.

mortalem, quam depravata edidit, sic ut integros, etiam versus, ne dum syllabas aut dictiones omiserit. — *Theocritum* — *Secerius* his nundinis proximis est editurus Grace & Latine. — Præterea *Heroides* (r) repastinatas, & à pessimis & monstrosis fôrdibus expurgatas *Secerio* dedi, quas tamen, opinor, his nundinis non edet, nisi meum præscriptum transgredi voluerit. Utinam autem quicquid edet, non depravet tantum. Qui quidem tam familiariter nobis utitur, ut obiurgatus propter corrupta scripta nostra, præsens ridendo, absens iocando crimen diluat. *Huic homini quid facias nisi ut ignoscas, & amici vitium noveris, non oderis.* Hæc ille, quæ data opera protuli integra, ut genius huius typographi melius intelligatur, qui excusis, ut perhibent nonnulli, facerrimis *Serveti* libris, famæ suæ æternam inuulit maculam. Hæc dum scribo, & Te ipsum quoque, Theologe præstantissime, in hanc inclinare sententiam video, pace tua, nonnulla hic altius iuvabit repetere, cum ab hac mea opella, illustrandæ rei typographicæ Lufftianæ, destinata, non id alienum videa-

(r) Vid. quæ de Hessi Heroidibus supra p. 303. & 364. dicta sunt.

deatur. Quod si itaque verum est, quod Viri Clarissimi, infra nominandi, affirmare haud dubitarunt, execrandos Serveti libros ex Io. Secerii officina in lucem protrusos fuisse; videtur mihi providentissimum Numen, aliquot iam annis ante, Secerium ab impressione nefandorum Serveti librorum tacite velut abstrahere voluisse monitis doctissimorum Virorum, Melanchthonis, Obsopœi, aliorumque. Ita namque *Phil. Melanchthon* in Epistola dedicatoria, quam A. 1527. (s) ad Fridericum, apud S. Egidium Norimbergæ Abbatem, scriptam Nonni translationi sancti Evangelii secundum Ioannem, Græce, per *Ioannem Secerium* (t) illo anno impressæ, præfixit, admodum notanter scripsit: *Certe, ait, hoc tempore in hoc tanquam civili bello literatorum, uberrimus proventus est, non tantum nugacissimorum librorum, sed etiam perniciosissimorum.* Proinde soleo con-

Tom. I. Fasc. II.

Cc

sulere

(s) Eodem anno à Secerio excusus est Iob cum Commentariis *IOANNIS BRENTII* nostri, ceu mox pluribus commemorabo.

(t) Vid. Maittaire Ann. Typ. T. II. p. 685. collata p. 388. ubi & hæc verba ex epistola illa Melanchthoniana excerptis.

sulere Typographis, (u) ut potius sumptus faciant in veteribus codicibus edendis. Idque fieri optarim in primis in Theologicis, quos non leve scelus est sine perire. &c. Ita Philippus satis pie & prudenter. His continuo subiungam (*) non minus, imo magis etiam gravia & ponderosa *Vincentii Obsopæi* verba ad Georgium March. Brandenb. scripta anno 1529. in Dedicatione Polybii (x) Gr. Lat. A. 1530. in typographia Io. Secerii Hagenoæ in fol. excusi: Impetravi, inquietis, ab ornatissi-

mo

(u) Conf. quæ paulo post de monitis Phil. Melanchth. ad Petrum Brubacchium, Secerii in officina typographica Haganoënsi, ut videatur, successorem, dicentur. p. 414. sq.

(*) Præente Cl. Maittaire l.c. p. 388.

(x) Adducit hanc editionem maxime Rever. D. Io Alb. Fabricius in Bibl. Gr. Lib. III. Cap. XXX. §. V. p. 758. addens, versionem Nic. Perotti separatim adiectam, & ex Obsopæi codice hanc editionem recensitam esse. Ea in Bibliotheca Gesnero-Simleriana sub voce Vinc. Obsopœi non memoratur; occurrit tamen in tit. Polybius. Maittaire vero in Annal. Typ. T. II. & operis huius p. 739. a. 1530. mentionem facit, & p. 388. verba supra à me prolata, excerpit, subiiciens paulo post, Vinc. Obsopœum ONOLTZPACHII habuisse Scholam, ex qua



mo Viro Ioanne Secerio, Haganoënsi Typographo, quo iam multos annos utor familiarissime, ut interpretationem latinam Nic. Perotti ad calcem adiungeret. — Eius generis Authors priscos solidae eruditionis refertissimos debebant nostri quoque Typographi tandem per Germaniam excudere — Nullo vero modo ferendum est ipsis, ut suæ officinæ omnibus pateant asinis, & chartarum carnificibus — De iis mihi sermo est, qui omnes angulos com-

Cc 2 plent

qua data sit ad GEORGIVM VOGLERVM Brandenburg. Cancellar. Epistola Marco Heremita præfixa 1530. cuius de lege spirituali capitula, græce cum latina sua versione Obsopœum A. 1531. 8. in eadem Io. Secerii officina excudi curasse, & hoc loco, & p. 749. observat Cl. Maittaire. Nec huius libri memoria conservari video in dicta Biblioth. Gesnero-Simleriana, nec alias, qui mihi præsto est, h. t. „De arte bibendi libri tres, autore Vincentio Obsopœo „ Elegiaco carmine scripti, & Norimbergæ An. M. D. XXXVI apud Io. Petreium impressi sunt in 4t. plag. 12. Dedicavit illos ex ONOLTZPACHIO, mense Ianuar. A. 1536. Io. Harttungo, Iudici in Fonte Salutis. Cum Poëta fuerit Obsopœus, liberalius paulum vino indulgere insimulabatur ; quam criminacionem à se depellere hic studet,

scrips



plent ineptis (y) nāj ἐΦημερίοις paginis, & omnibus prelorum officinis faceſſunt negotium. — Nonne vero extremo pudendum est flagitium, hoc divinum Germaniae inventum, hoc nobile artificium, hanc præclarissimam artem transfundendorum in mille exemplaria codicum, quorumlibet etiam rudissimorum aſinorum abusui & libidini esse expositam. Discant ergo tandem vel communi lareconsultorum proverbio typographi, neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus oblatā, imprimenda eſſe.

Hæc

ſcribitque inter alia ad Harttungum : „ Malo „ autem , inquiens , paulo immoderatior „ οἰνοπότης dici , quam merito accusari aut „ ſeditiosus , aut doctor pestilens , aut in „ Deum blaſphemus , aut alienorum ſcripto- „ rum falsarius , aut Sacræ Scripturæ per- „ verſor , aut diſturbator pacis & concordiæ „ Evangelicæ , aut peſtilentiaſſimæ hæreſeos au- „ tor & adiutor , aut ſacrilegus ac nefarius „ Sacramentarius , aut furia Anabaptiſtica , „ aut denique turpis mœchus , aut impo- „ ſtor , aut plagiarius. Sed meis criminato- „ ribus peculiari ſcripto respondebo , daturus „ operam , ne fruſtra cicadam (quod aiunt) „ ala comprehendenterint „ Hæc ille.

(y) Eiusmodi insulfiffimarum & ineptiffimarum ſcheda.



Hæc, ut dixi, anno Sæculi decimi sexti vi-
gesimo nono rectissime scripsit Obsopœus,
& charactere *lo. Secerii* exprimenda curavit.
Quis ergo cogiteret, *Secerium*, his gravissimis
adhortationibus iam antea probe munitum,
biennio post prelum suum maledicto Serveto
commodaturum fuisse, ut flamma & exci-
dio dignissimos de Trinitatis Erroribus li-
bros, aliaque eiusdem, illi subiiceret. At-
vero factum hoc esse, primus, quod sciam,
Cl. Schelhornius (z) demonstratum ivit,
coniecturis Viri Clar. Michaëlis de la Roche,
(a) qui illos Hagenoæ impressos esse, sta-
tuit, ulterius indulgendo. Hanc Schelhor-

Cc. 3

nii

schedarum, quæ tum copiose, locis, ubi im-
pressæ sunt, plerumque omissis, sub mon-
strosis titulis & figuris prodierunt, aliquot
possideo volumina, quarum vel solis titulis
conspectis indignationem aliquando & risum
continere posse, difficile est.

(z) In Amœnit. Lit. T. III. p. 108. postquam pau-
lo antea in T. II. p. 349. scripsisset, ex typis
facile coniici posse, in Germania, & forte,
ut nonnulli suspicentur, Basileæ eos fuisse
prelo subiectos.

(a) Dans la Bibliotheque Angloise Tom. II. Part. I.
p. 80. 85. 138. 180. confer, si placet, Bibl. Brem.
Class. I. Fasc. V. p. 739. sqq.

nii opinionem nuper sive citavit, sive approbavit summe Rev. L. Io. Henr. à Seelen, (†) subiungens, Schelhornium demonstrare hoc studere ex similitudine typorum, quibus alii libri in *Seceriana officina excusi* essent. Cui sententiae & Tv ipse, Zeltnere **Venerande**, pollicem nunc premere vide-
ris. Duo nunc anni sunt & aliquot men-
ses, cum Generof. ille & humanissimus li-
terarum & literatorum Mæcenas Norimber-
gensis nunc cœlo receptus, Dn. *Christophorus*
Jacobus Imhof ab & in Weidenmühl (b) ra-
rissimos Serveti libros mihi inspiciendos be-
nebole concederet, quos & postea alibi tum
typis impressos, tum manu descriptos vi-
dere contigit. Nondum tum de coniectu-
ra illa cogitare datum fuit, quantum tamen
memini, typorum, quibus exemplum Im-
hofianum erat excusum, idea in mente mihi
re-

(†) In Select Liter. Diff. II. p. 76. quo loco fusam
exhibit Mich. Serveti librorum rarissimorum
de Trinitate recensionem.

(b) Natus fuit An. 1654. d. 30. Dec. obiit d. 24. Ian.
1726. Effigies eius ornat frontem Partis quar-
tæ Actorum Eruditorum & Curiosorum Fran-
coniar., in cuius Sectione secunda, p. 228 —
239. vita eius reperitur descripta.

recurrerit persimilis illi characteri, quo non nullos libros à Io. Secerio impressos ~~autóπτης~~ intueor. Possideo enim libros, quos officina eius produxit, sequentes:

1. *De constituendis Scholis Mar. Lutheri liber donatus latinitate; cum pref. Phil. Melanchthonis. Haganoë, per Ioh. Seckerum, (c) in 8v. sine addita anni mentione.*

2. *De instituenda vita, & moribus corrigendis iuuentutis, Paræneses, à Christophoro Hegendorphino primum quidem in privatorum discipulorum gratiam comparata. Deinde vero in usum aliorum bonæ indolis iuvenum conscriptæ. Haganoë, per Iohan. Seckerum (d) Anno M. D. XXIX. 8v.*

3. *D. Salonii Viennæ Galliarum Episcopi doctiss. ad Veranum Fratrem, Dialogi duo, in quorum priore parabolas Salomonis, in altero au-*

C c 4 tem

(c) In titulo conspicua est ipsius nominis nota compendiaria, sibi invicem innexis literis I. S. quæ aliquando, ubi insigne eius typographicum, Janus bifrons, non occurrit, in libris, ab eo excusis inveniuntur. Conf. Maittaire Ann. Typ T. II. p. 387.

(d) In fine libri additum est insigne illius typographicum Janus bifrons. Vid. Maittaire loco paulo ante citato.



tem Ecclesiasten interpretatur. Bessarionis Patriarchæ Constantinopolitani, de ea parte Evangelii, si eum volo manere &c. erudita & valde utilis disceptatio. D. Ioh. Alex. Brassicanus, Iureconsultus, pietatis ergo in lucem edidit. Haganoæ ex officina (e) Iohan. Sec. An. M. D. XXXII. Mense Februario, in 4t.

Hi à Secrio, quanquam variis typis, excusi libri mihi forte occurabant, ubi tamen & eiusmodi character passim cernitur, qui illi respondere videtur, quo Serveti libri horrendi à Secrio dicuntur impressi. Sane Schelhornius (f) disertis verbis ait, *iisdem typis exscriptos esse Serveti libros, quos ipse inspexit, quibus memoratus typographus Hagenoæ Joannis Agricolæ Scholia in Epistolam Pauli ad Titum*

(e) In calce iterum comparet Ianus bifrons, superne adscriptis verbis: Haganoæ apud Ioannem Secrium excudebatur, Anno à nato Christo, M. D. XXXII. Mense vero Februario.

I. A. Brassicanus utrique scripto peculiarem Dedicationem præmisit, quarum priorem scripsit Viennæ Austriæ ex Regio collegio. Anno à nato Iesu M. D. XXXI. Mense Decembri; posteriorem ibidem M. D. XXXII. Mensis Ianuarii die III. Non video hunclibrum adduci à Maitairio ad h. a.

(f) Amœn. Lit. T. III. p. 108.



Titum A. 1530. M. Sept. & Io. Brentii Commentarios in Iobum An. 1531. in octavi ordinis forma excudit. Cum & Brentii nostri Ecclesiastæ tum patriæ meæ, Halæ Suev. meritissimi, liber iste clavem doctissimo Schelhornio præbuerit, fateor, me editionem hanc libri Iob hucusque ignorasse, quamquam alia, tempore illâ prior, quippe A. 1527. Haganoæ. 8. sine dubio in eadem officina excusa hoc tit. *Liber Iob cum Commentariis Ioannis Brentii, ad veritatem Hebraicam ita translatus, ut nulla porro obscuritas lectorem possit offendere; ex Iacobo le Long (g) & qui hunc fecutus est, Maittaire (h) mihi innotuerit, quorum tamen neuter editionem de A. 1531. annotavit.* Hoc ipso tamen anno trigesimo primo aliis liber (*) lucem vidi, hac insignitus inscriptione: *Xenophontis Symposium; & compendiosa explicatio in errores Ulyssis Odysseæ Homericae, Græce, opera & studio Vinc. Obsopœi edita: per Iohannem Secerium, 8. Hagan. 1531.* In nota addit Maittaire, Mense

Cc 5

Julio

(g) In Bibl. Sacr. P. I. C. IV. p. 720.

(h) In Annal. Typogr. T. II. p. 684. ad a. 1527.

(*) Profert eius titulum Maittaire l. c. p. 753. cui & cetera, quæ de illo monet, debere me, fateor.

Julio prodiisse, & Symposium inscripsisse
 Obsopœum *Ioanni Brentio in Hala Sueorum Ecclesiastæ*; explicationis autem libellum,
 quem imperfectum & mutilum, in antiquissimo quodam codice *αδεσποτον και αιωνυμον* repererat, *Ioanni Secerio* dedicasse. Unde rursus patet, quod ipse innuis **VIR** præstantissime, à viris doctis magni habitum fuisse Secerium, quem & iam A. 1518. in Reuchlini de Heb. Accent. & Orthogr. librum Hagenoæ per Thom. Anshelmum 1518 excusum (i) hoc scripsisse Epigramma, sæpe laudatus Maittaire refert:

Io. SOCER IVS (k) Lauchen. Literarum sacrarum studiosis.

*Qui cupid Hebraæm se se duce noscere Linguam,
 In capita primum Biblia Hebræa fecet.
 Deinde rudimenta Iudaica Capnionis,
 Tum septem Psalmos expositos relegat.
 Extremum liber his consummat rite laborem:
 Sermo voluminibus quatuor iste patet.
 Notatu quoque cum primis digna est epistola,*

(i) Vid. Maittaire l. c. Vol. II. 388. sq. coll. p. 323. qui & p. 55. sqq. de Anshelmo agit. Ipsum vero Reuchlini librum recenset Maius in vita eius, p. 434. sqq.

(k) Ita legitur nomen eius impressum apud Maittaire l. c. p. 389.



la, quam Lutherus An. 1527. d. 13. Sept. ad Ioannem Secerium scripsit, in qua querelam movet, quod Martinus Bucerus Postillam, quam vocant, Ecclesiasticam suam corruperit; quam in Epistolarum Lutheri Libro II. p. 348. sqq. reperiri, ait Seckendorfius in Hist. Luth. L. II. §. XXX. p. 82. col. a. qui & col. b. verba nonnulla inde producit; conf. edit. Seckend. Luther. Frickiana ad illum annum p. 827. ubi & hæc amplius leguntur verba: Er (Lutherus) begehret auch von Secerio, daß wo er diese Lateinische Version seiner Postill wieder auflege / Er diese Epistel dem vierdten Tomo beydrucke. Obiter hic monere liceat, nescire me, quo iure & ill. Seckendorfius & Ven. Frickius, illo præeunte, epistolam Lutheri A. 1527. datam esse scribant ad *lo. Secerium, Typographum Basileensem*. Neque enim, quantum ego diligenti investigatione assequi poteram, Basileæ vel unquam, vel illo præsertim anno typographicam exercuit artem, alias ei sine dubio Maittaire Ann. Typ. T. II. p. 342. aut alibi, locum dedisset. Certe A. 1526. cum otros libros, tum Luciani opera græcè, duobus volum. in 8. Haganoæ ex *lo. Secerii officina*, lucem vidisse, laudatus Maittaire εξ αὐτοψίᾳ osten-

ostendit(1) qui & in subiecta nota, verba nonnulla ex Io. Secerii ad Hier. Bomgartner Dedicatione, profert: *Tu miro studio, scribentis, impetrasti tandem, ut Norimbergæ literarum studia erigerentur. Cui pulcherrimo conatu, tuo ego veluti primitias Lucianum Gracum dedico, &c.* Quem librum & præfat. Secerii Tvmet ipse dignum iudicavisti, cuius hoc ipso in loco, quem nunc non nihil illustrare conor, non siue laude mentionem faceres. A. 1527. autem in eadem urbe Haganöensi Secerium strenue illam artem excoluisse, dubitare nos vetant illi libri, quos tum excudit, à Maittairio ad illum annum allegati, quorum nonnullos supra fuse à me ipso commemoratos deprehendes. Hinc sequentibus annis, Maittairio passim testimoniū perhibente, Haganœ ad libros imprimendos operam suam locavit, quam & A. 1531. & 1532. (certe anno priore) sceleratissimo erroni Michaëli Serveto commodasse videtur, ceu supra fuse dictum est. Si conjecturam conjecturæ addere liceat,

exi-

(1) Ann. Typ. T. II. p. 676. Etiam I. A. Fabricius in Bibl. Gr. L. IV. Cap. XVI. p. 505. hanc editionem, sed vagè, adduxit.

existimarem , Servetum prorsus correctoris officio apud Secerium defunctum esse. Talem enim postea quoque Lugduni in officina Casp. Trechselii, sub Mich. Villanovani nomine eum egisse, & Bibliis Sacris ex Santis Pagnini translatione , quæ tum corrigenda ipsi erant, varias adiecisse glossas impias satis , & anguem sub herba latentem indicantes, b. frater tuus (m) docte demonstravit. Perrexisse deinde Secriū, Maittaireo præeunte video , libros ex prelo suo Haganoënsi emittere usque ad A. 1534. quo tamen non nisi unicum , ex Gesneri Bibliotheca , adducit toties mihi memoratus Annalium typographicorum conditor, h. t. Ioan. Metzleri rudimenta primæ partis Græcæ Grammatices , excudit Secrius 8. Hagen. 1534. Eundem , facta Secrii mentione, reperio in Gesneri Bibl. à Simlero contracta, voce Ioan. Metzleri , fol. m. 104. a. ubi & in folii proxime

(m) In vita Mich. Serveti , p. 499. sq. quam suæ de doctis Correctoribus typographicis Centuriæ inseruit ; quem locum integrum transcripsit , facta fratris tui mentione, Cel. Maittaire Ann. Typ. T. II. p. 583. sq. in notis ; ubi & similem , ac notatu in primis dignum locum ex Le Long Bibl. Sacr. p. 597. & 687. (editioni Boernerianæ hæ paginæ respondent) excerptum sūtit.

xime præcedentis altero latere , voc. Ioach. Camerarius, lin. 19. 20. col. b. alium deprehendo librum eo anno ab eodem impressum, h. t. *Commentaria interpretationum argumenti Thebaidos fabularum Sophoclis*, excusa Haganoæ in officina Seceriana , anno 1534. Atque hi libri videntur mihi, ni fallor, ex ultimis fuisse, quos Secrius Haganoæ imprefsit, neque enim posthac ullum vel vidi, vel allegatum deprehendi; ita ut credam, Secrium anno Sæc. XVI. trigesimo quarto, vel mortuum esse, vel alio commigrasse, vel Petro Brubacchio , quod prorsus verisimile est, officinam suam reliquisse. Enimvero est inter libros meos unus , à Maittairio ad hunc annum prætermissus , cui tit.

D. Erasmi Rot. de duplii copia verborum ac rerum libri duo. Una cum commentariis M. Veltkirchii Oratoria Professoris in Schola Wittbergensi, iam recens natis ac editis. Haganoæ ex officina Petri Brubachii. An. M. D. XXXIII. Mense Augusto. Cum gratia & privilegio Cæsareo ad sexennium. 8v.
Philippus Melanchthon præfationem ad Petrum Brubachium, quem Typographum Haganensem & sibi suavissimum vocat, præfixit, in qua ait, sibi dubium non esse , quin

iam



iam intelligerer, quanti referret, ut optimi
quique authores imprimantur, neglectis iis,
ex quibus aut nulla, aut perquam exigua
utilitas ad studiosos bonarum literarum red-
iret. Non enim perinde referre, *ut pro-
miscue quosvis suscipere*, cum non ex æquo
studiosis prosint omnes. Et quia ut nunc
essent hominum ingenia, plures mali quam
boni reperirentur, atque inde accideret, ut
malorum authorum maior esset proventus,
quam bonorum, dandam esse operam, ut
huiusmodi scriptis publicandis literariam
iuentutem sibi devinciret, quibus ad hæc
studia humaniora discenda ac cognoscenda,
non vulgariter accendi quiret. Nec certe
male fecit Melanchthon, quod eiusmodi
monitis primitias quasi artis typographicæ
à Brubachio Haganoæ in posterum exer-
cendæ, circumscriberet, quæ, ut supra com-
memoravi, frustra dedit Secerio. Plures de-
inde libros progressu temporis ibi impressit,
quorum nonnullos & Maittairius adducit.
Vsum quoque fuisse illum video eodem in-
signi typographicō, Iano scilicet bicipite
vel bifronte, quod Secrius ante usurpave-
rat, certo indicio, ad Brubachium huius
officinam impressoriam pervenisse. Quid
Hala

Halæ Suevorum postea Brubacchius hanc artem excoluerit, variis nec contemnendis præstantium auctorum evulgatis monumentis; & hinc Francofurtum ad Mœnum concesserit, ubi longo tempore persticit, alias forte D. V. uberius docebo, quando nonnulla, ad historiolam artis typographicæ Patriæ meæ, *Halæ Suevicæ*, pertinentia, cum harum rerum curiosis communicabo, in quibus tamen ex latebris suis eruendis, minus feliciter adhuc me versari potuisse, candidus profiteri necesse habeo. Quapropter doctos viros & TE ipsum in primis, Zeltnere humanissime, non immerito ad eiusmodi observationes, si quæ sese fortassis offerant, mihi non denegandas, quo par est studio atque modestia invitatos velim. Sed hæc ὡς τὸ παρόδω.

Ibid. (p. 16.) in nota.

Wie man denn auch von Lateinischen Büchern, die Lotther der neue Typographus abgedruckt, wenig findet — mir aber gar nichts von seinem Lateinischen Druck noch zur Zeit unter die Augen gekommen ist.) Idem me TEcum fateri oportet, Patrone observande. Et gestio sane scire, in quanam officina Wittenbergensi, numne in Grunenbergiana, an vero in

Lot-



Lottheriana recens instructa, duo hæc, quæ aliquando ceu cimelia redemi, Lutheri vetustissima ita dicta autographa sint impressa. En titulos utriusque.

a) *Ad librum eximii Magistri nostri, Magistri Ambrosii Catharini, defensoris Silvestri Pri-riatis acerrimi. Responsio Martini Lutheri. Wittenbergæ, Mense Aprili. Cum exposita Visione Danielis VIII. de Antichristo, in 4to. plagis 13.*

Inscripsit hunc librum Lutherus his verbis:
*Vincilao Linco (n) Augustinianæ Familiae,,
Vicario, Ecclesiasti Nurmbergen. Eccle-,
Tom. I. Fasç. II. Dd siæ,*

(n) Idem refert Verpoortennius in vita Wenceslai Linci p. 17. quæ Sacris superioris ævi Analectis ab eo præmissa est, ubi & indicat, extare hoc scriptum in Luth. opp. T. I. Altenb. p. 654. sqq. Recenset illud Seckendorfius in Hist. Luth. L. I. §. CVI. p. 173. sq. edit. Lat. & p. 390. 393. sqq. edit. Germ. Ven. Frickii, ubi hic Vir doctissimus p. 393. scribit, dasi dieses Buch zwar noch vor Lutheri Reise nach Worms von ihm versertiget / aber erst am Ende des Jahrß gedruckt worden. Besiehe Epist. (scil. Lutheri) 218. 250. L. I. At vero in titulo editionis meæ Mensis Aprilis loco impressionis, Wittenbergæ, subiectus est, licet annus desit, quem tam
men

siæ, vere Theologo, suo in Domino Ma-,,
iori, Mart. Lutherus, Salutem., „ Finit eum
ita: Vale in Christo mi Vincilae. Vuitem-
berge, M. D. XXI. Prima Aprilis.

β) *De Votis Monasticis Martini Lutheri iudi-
cium.* Wittembergæ. 4t.

Et hic liber anni ac typographi indicio
caret; utrumque tamen non ita difficulti
coniectura erui posse, crediderim. Anno
enim 1521. exscriptum esse, exempli vetu-
itas facile prodit; quo anno etiam Luthe-
rus illum *Ioanni Luther Parenti suo dedica-*
vit; (o) sic enim epistolam finit: *In quo*
(Iesu Christo) bene vale, carissime Parens,
*& matrem meam Margaritam tuam cum uni-
verso sanguine saluta in Christo. Ex Eremo,*
(p) vicesima prima Novembris. An. M. D. XXI.

Re-

men 1521. esse, nullum est dubium, cum typi
illud prodant. Conf. si velis, Bayle Diction.
Hist. & Crit. T. III. p. 2381. sq. edit. recent. voc.
Prierias.

(o) Ex qua dedicatione supra p. 380. verba quæ-
dam notatu non indigna excerpti.

(p) Id est Wartburgo, arce prope Isenacum, in
qua Wormatia redux, cum à Cæsare proscri-
ptus esset, aliquantis per, ut ab adversariis tu-
tus

Recensetur hic liber in Seckendorfii Hist. Luth. Lib. I. §. CV. n. I. p. 171. sqq. & in Fricckii edit. Germ. Seck. Luth. p. 399. sqq. conf. Sleidanus in Comment. de stat. Rel. & Reip. Lib. III. p. m. 67. Ipse Lutherus apud Seckend. I. c. p. 173. scribit de hoc suo tractatu; *esse illum omnium, quos scripserit, munitissimum, immo, quod gloriari audet, invictum.* Cæterum typis Melchioris Lottheri Jun. (qui paulo ante, quod Tv ipse hic doces, calcographiam triplicis linguae Wittenbergæ erexit, quæ Lutheri verba sunt, à Te ex Epist. Tom. I. f. 225. (a) adducta) isthuc meum exemplum fuisse excusum, forsitan haud vane coniicio. Cum enim prior ille à me adductus Lutheri liber charaktere expressus sit minus eleganti, & multis abbreviaturis deformato, qualis forte in Grunenbergii typographeo

Dd 2 in

tus foret, delituit, quam spectare & mihi contingisse, non in minimis pono. Eremum illam arcem & Pathmum suam vocavit, vide præter alios, Io Langeri vitam à Christ. Schlegelio editam §. XLIX. p. 98. 99. ubi & docetur, Lutherum postea 1530. cum in arce Coburgensi comoraretur, & hanc Eremum & Pathmum suam, & se interdum Eremitam appellasse in literis ad amicos.



in usu fuerat; hic è contrario typis est excusus pro illo tempore satis nitidis, & paucissima literarum vel vocum compendia ibi reperiuntur. Quare cum ipse p. 17. in nota (n) aliorum quidem fide, scribas, paucos illos latinos libros, quos Melch. Lottherus typis exscripsit, nitore se suo commendare, (worunter die wenige Lateinische gar sauber seyn sollen) insuper p. 14. not. (i) Lutheri verba ex Tom. I. Epist. f. 194. a. adducas, ad Ge. Spalatinum iam 1519. scribentis: *Venit Melchior Lotterus instructus optimis formula- rum matricibus, à Fabrenio acceptis, paratu- rus apud nos officinam excusoriam instituere; fa- cile in hac mea opinione confirmor.* Figu- ræ titulum ex omni parte ornatus gratia cin- gentes, (die Einfassungen) inter alia repræ- sentant monachum, ut videtur, & monia- lem sibi invicem è regione stantes. Modo commemoravi, Lutherum Lottheri offici- nam apud Ge. Spalatinum commendasse, quod & l. c. pluribus egit. Porro apud Eliam Frickium lego, (q) Lutherum illo anno ex castro Wartburg, ubi latebat, plures libros Ge. Spalatino transmisisse, procul dubio, ut eos

(q) In der Seckendorfischen Historie des Luthere- thums/ Lib. I, §. CIV. p. 384.

eos typis Lottheranis imprimendos curaret.
En ipsa eius verba: Lutherus schrieb den Tractat von Mizbrauch der Messen/ mit einer Vorrede an die Augustiner zu Wittenberg / welcher in dem lateinischen Exemplar das Datum vom 1^{ten} Nov. (1521.) beymet. Der Tractat aber ist erst im folgenden Jahr im Ianuario gedruckt worden/ weil solchen mit andern ihm überschickten Tractaten Spalatinus so lange zurücke gehalten / dahero ver selbe unter den Schrifften des 1522. Jahrs T.II. Alt. p. 21. sqq. steht: Ex quibus verbis hæc ego mihi videor colligere posse, Spalatinum hunc librum meum , (r) cuius dedicationem viceima prima Nov. M. D. XXI. scriptam esse, supra dixi, forte eodem adhuc anno, aut initio sequentis, prelo Lottherano, suauis forte Lutheri, subiecisse. Quantum valeat hæc coniectura, Tvo permitto expendendum acutissimo iudicio: forte nonnullis a TE quoque non nisi hariolando hic dictis vel minima lux inde accedet.

Dd 3 Ad

(r) In quo id adhuc observo, philyram eius primam in ora non esse notatam signatura simplicis A, sed duplicitis Aa, alteram plagam Bb, & sic porro sequentes, usque ad ultimam, quæ signum Pp. gerit. Vnde fere coniicio, illum alii libro Lutheri in Lottheri officina ante excuso, velut annexum fuisse per ista signa, & separatim quoque venditum esse.

Ad p. 17. not. (o)

Angesehen Nic. Gerbelius in seiner Hage-
nauer Edition fast nichts anders gethan / als daß
er das andere N. T. Erasmi bloß Griechisch / um
der Commodität willen / und zwar ziemlich vitiös
in klein 4to nachgedruckt.) Conf. quæ p. 392.
sqq. fusius annotavi. In media, seu quarta
forma excusum esse hoc N. T. Eckhardus, lo-
co ibi citato, p. 7. & 12. statuit. Boysenius in
Diatribœ ibidem à me allegata, p. 12. in for-
ma quarta, vel magna octava impressum esse
dicit. Obiter observo, Cl. Eckhardum, qui
Rev. M. Io. Christ. Olearii, Ecclesiastæ Mag-
deburgensis coniecturis porro institit, non
videri mihi primum fecisse coniecturam il-
lam, quod B. Lutherus, in interpretatione
sua N. T. confienda, usus sit editione N. T
græci à Nic. Gerbelio procurata, uti qui-
dem, dubia tamen addita formula, statuit
Cl. Boysenius, l.c. §. III. p. 6. Videtur enim
mihi iam olim celeberrimus Ebreae linguae
apud Argentoratenses Professor, *Frid. Blan-*
ckenburgius in hac fuisse sententia, ex cuius
oratione sœculari 1617. de Versione Lutheri
Biblica, hæc verba adducit D. Io. Frid. Maye-
rus:

rus: (s) *Configio ad ipsum Græcum Exemplar, quod anno Christi 1521. Haganoæ à Thoma Anselmo Badensi fuit excusum, in quo hoc (t) etiam non legitur testimonium, tale exemplar cum Lutherò fuerit, quis illum ullius dolis accusabit?* Hæc Blanckenburgius.

Ad p. 18. not. (q)

Oder — in dem Monath^s Tag Ianuarii, A.
1722 (lege 1522.) ein Irrthum zu corrigen/ davon
lässe ich andere urtheilen.) Aut mendosum esse
hunc Philippi locum, aut de aliqua V.
Testamenti latina vel græca editione, age-
re, suboluit iam ante hos ipsos sexaginta

Dd 4 annos

(s) In Historia Versionis Germanicæ Bibliorum
D. Martini Lutheri Cap. IV §. 8. p. 53.

(t) Sermo ei est de dicto Classico, I. Ioh. V. 7.
Idem p. 394. annotatum à me est, ubi notan-
dum, ad auctores ibi à me citatos addi etiam
debere Relatt. Innoc. 1711 p. 156. — 159. coll.
Krafftii Prodr. Hist. Vers. Germ. Bibl. p. 85.
sqq. & p. 110 vitæ lo. Lufftii. In primis adde Cel.
Seelenii Selecta Liter. Diss. V. §. VI. p. 204. sqq.
qui & ipse multos scriptores, de illo dicto,
I. Ioh. V. 7. agentes, adducit. Hoc ipso quoque
tempore. dum hæc scribo, in Catalogis libro-
rum



annos doctissimo Herm. Conringio, in Epistola gratulatoria ad Ducem Brunsvic. & Lüneb. Augustum, Helmst. 1666. 4. excusa, p. 66. ubi N. T. Versionis Germanicæ editionem, quæ An. 1522. circa diem Matthæi prodiit, in Augustam Bibliothecam, à Principe esse relatam, dicit, & ibidem contra Bucholcerum (qui in indice Chron. ad A. 1522. p. m. 491. ad probandum, Philippi studio atque censura Lutherum in recognoscendo N. T. usum fuisse, ad epistolam I. Philippi ad Camer. provocaverat,) evincere studet, epistolam illam primam, Ian. Mense illius anni scriptam, de N. T. recognitione nihil habere; etsi perquam verisimile sit, Lutherum a Philippo Melanchthonem adiutum esse.

Ad pag. 19. init.

Über doch selten anzutreffen) Spectant & huc in primis verba Cl. Schelhornii, in Amœn.

Lit.

rum, qui proximis nundinis vernalibus prodierunt, unum video, huc omnino, ut extitulo patet, referendum, nempe GEORGII (in aliis catalogis IOANNIS extat) GOTTFR. RICHTERI Catalogus Testium veritatis, d. i. ein uraltes Zeugnuß von denen dreyen Zeugen im Himmel / sc. 4. Leipzig, 1727.

Lit. T. II. p. 415. docte scribentis: *Ipsas etiam primas editiones versionis biblicæ, à Lutherō factæ, negligentia hominum rariores effecit. Nunc vero agnoscunt eruditæ & æqui rerum æstimatores, prima illa beati viri tentamina in opere Biblico Germanice edendo dignissima esse, quæ cimeliorum loco habeantur.* *Sensim sensimque is translationem suam immutavit, correxit, ac nitidiori sermonis genere expressit. Non tamen diffiteor, priores interdum eius cogitationes posterioribus præferendas mihi videri.* Hæc ille. conf. Le Long Bibl. Sacr. P. II. Cap. IX. p. 204.

Ibid. not. (y)

Wovon ich den andern Druck / darben sich ein Index, der bald hernach zu Bamberg darüber gemacht worden ist / vor geraumer Zeit in die hiesige Vniversitäts-Bibliotheque niedergelegt.) De hoc ipso indice in N. T. Vers. Luth. germ. memini TE alibi(u) iam quædam dixisse; postquam enim ostendisses, in ipsa civitate Bambergensi (x) non paucos quoque fuisse,

Dd 5 qui

(u) In Vitis Theologorum Altiorfinorum, nominatim in vita M. Io. Picardi, primi Theologi vestratis. p. 2.

(x) Ex hoc ipso loco illustrari etiam possunt ea, quæ in nota hac, in quam commentor, paulo post de fautoribus Lutheri Bambergensibus observasti.

qui, cum Lutherus Sacris Ecclesiæ repurgandis operam dare inciperet, eiusdem vestigia premere conarentur, paucis interiectis; quorsum & inquis, referendi, qui primum in versionem Germanicam N. T. à Luthero An. 1522. adornatam, Indicem illic typis subiecerunt. Qua occasione lubet TIBI, Patrone mihi faventissime, in memoriam revocare alium librum, ab Indice tuo non ita alienum, quem Two aliquando subieci iudicio, qui & post perlustrationem eius mihi asseverasti, nec le Long in Bibl. Sacr. nec Ven. D. Bœrnernum ibidem eius mentionem facere, ceterum bene digesta & ordinata esse in hoc libro pleraque omnia: Es sen wol eingericht. Est vero ille liber in forma, quam dicunt, folii excusus, hoc tit. Concordanz des newen Testaments zu teutsch. Aller Evangelischer Sprüch Uffzug nach Ordnung des A. B. C. kurz und fleissig / Registers weiß veruafzt. Zu Strassburg bey Hans Schotten zum Ehbergarten. M. D. XXIII. mit Keijserlicher Freyheit uff sechs Far.

In fine libri hæc leguntur: Vollendet durch Hans Schotten zu Strassburg / uff den sibengeshendsten Tag des Brachmonats. Anno Christi M. D. XXIII. Præmisit Schottus brevem præfatiunculam, quam inde excerpere non gravabor.

Joh.



Johannes Schott / Drucker zu Straßburg /
wünscht dem Christlichen Leser / Heyl und
Gottes Gnad:

Zu Behvlf menschlicher Vergesslichkeit / so
nit allzyl vest das Gottes Wort behalten in
iren Herzen / und doch dasselbig begyrig seind zu
wissen / hab ich uss Gnad und Beystandt Gottes
des Allmechtigen / viss Buch / Evangelischer
Spruch Concordanz genant / nit on sonderen
Fleiß / Müh und Arbeit zusammen bracht. Wel-
ches gleich wie ein Spiegel anzeigt / alle Win-
ckel / Ort und End des ganzen newen
Testaments. Das wöllest Christlicher
Leser / mit Danck annemen. Denn die Frucht
seins Gebrauchs mir unuſprechlich / dir aber
(bezeug mich der Erfarnuß) hoch nützlich ist /
gottgelernig zu werden.

Vt & nonnulla speciminis loco afferam ex
ipso libro, en Tibi hæc habe. Primi tituli in
lit. A. hi sunt: A. Abel. Abent. Abentessen.
Abentmahl. Abeglaub rc. Ex voce Abent hæc
excerpere iuvat.

Abent.

Mat. VIII. b. und von abent / und sißen mit Abe-
raam.

XIII. c. und am abent war er allein daselbs
XVI. a des abends sprecht ir/es würt ein

XX. a da es nun abent war / sprach der Herr
Et sic porro ; quantum differat hic quasi In-
dex

dex Argentoratensis (y) à tuo Indice Bambergensi, quem & Wittebergæ recusum fuisse, paulo postea affirmasti, Tvmet vis debis.

Ad p. 20. med.

A. 1522. an unsfern theuren D. Wenceslaum Linckium — der — 2. Jahr darauf nach Nürnberg fam.) Paulo ante p. 417. ostendi, b. Lutherum Wittenb. 1521. prima Aprilis, Vincilao Linco librum suum contra Ambros. Catharinum nuncupasse, ubi eum *Augustinianæ familie Vicarium, Ecclesiastem Nurbergensis Ecclesiae, vere Theologum, & suum in*

(y) Possideo & alium similem librum, cuius hæc est inscriptio: Pandect - Büchlein beyleufig als
ler Sprüch bayder Testament Auszug / in Titel
zerlegt und in 12. Büchlin verfasst. Sampt dem
Helden - Büchlin / newlich wider getruckt und
bessert. Oth. Brunnfels. M. D. XLIII. 8v.
In calce est: Gedruckt zu Augspurg / durch Va-
lentin Othmar. Idem Iohannes Schott præfa-
tionem adiecit, docetque (coll. p. i.) a Brun-
felsio latino prius sermone hoc scriptum ador-
natum esse, & à se nunc germanice redi &
edi. Loci Communes sacri sunt, & subiectus
libellus, dictus das Helden - Büchlin / nihil
aliud est, quam translatio germ. Catalogi vi-
rorum

*in Domino Maiorem vocat. Pervenisse eum
deinde Altenburgum, ex qua urbe 1525.
Norimbergam revocatus fuit, TIBI cumpri-
mis notum est, & ego quoque supra p. 375.
376. & in notis utrobique subiectis, ostendi,
adductis eam in rem fide dignis scriptori-
bus.*

Ibid.

*Nun kan ich nicht in Abrede sehn/dass Melchior
Lotthers Nahm gar nicht auf dem ersten Exem-
plar — zu finden.) Exhibui p. 303. sqq. in hoc
ipso fasc. epistolam Melanchthonis ad Eob.
Hessum, Wittenbergæ sine anni & diei in-
dicio*

rorum illustrium Vet. & N. T. quem Brun-
felsius scripsit, (cuius & præf. Argentorati 16.
Kal. Marcii 1527. exarata, est præfixa) & Ar-
gentorati apud eundem Ioannem Schottum
1527. in 8. edidit. Nec multum à priore differt
alius libellus, quem & ipsum possideo, h. t.
Concordanz und Zeyger der namhaftigsten
Sprüch aller Biblischen Bücher / Alts und
Newes Testaments / aufs kürzest verfasset / und
zusammen gebracht. Sampt einem ordentlichen
Register am Ende dieses Büchlins. Gedruckt
zu Nürnberg/ bei Johann Kramer. Annus non
additus reperitur, forma est parva duodecima-
lis. Ethic in locos communes est divisus.

dicio scriptam, ubi & ait: *Lottheranis quibusdam prelis ocium erit post absolutam eorum venia Novi Testamenti.* Ex his patet α) has literas A. 1522. exaratas esse: nam 1523. Eob. Hesus eas cum aliis evulgavit; β) plura prela, quam unicum in excudendo N. T. occupatum fuisse, sive hæc de prima vel secunda editione intelligantur. Imo Lutherus, loco à TE (p. 19. in not. x. citato.) ad Spalatinum scribit; singulis diebus decies millia chartarum *sub tribus prælis excudi ingenti labore & studio.*

Ad p. 21. nota (d) vel 22. fin.

So vielleicht in den Catalogis Bibliothecarum ebnermassen nicht schaden könnte.) Hinc & Bibliotheca Geßneri, & Epitome eiusdem Simleriana vel hoc nomine commendari merentur, quod plerumque diligenter ibi annotatum sit, & quibus typographiis libri sint excusi. Quæ observatio TVA, VIR celeberrime, apposite hic & docte prolatæ, omni laude, sed & imitatione recte monitorum, digna est.

Ad p. 22. med.

Dann die Kirchen-Postill schon etwas eher eines Theils unter die Presß gegeben worden.) Quoniam prolixius hæc exposita à TE video in p. 58. nota (y), ea, quæ dicenda habeo, istuc pace tua reservabo.

Ad

Ad p. 23. not. (e)

Gedoch etwas grössern Octav - Form / von A. 1624. gedruckt ist) A. 1524. scribere voluisti, nisi typographus erravit.

Ibid. not. (f.)

Die erste Psalter - Version aber noch A. 1524. 8v. — nachgedruckt worden.) *Rarissima præser-tim est, quam ad manus habeo, prima Psalterii ab eo (Luther) Germanice redditæ editio, quæ A. 1524. in 8v. lucem vidit. Verba sunt Schel-hornii in Amœn. Lit. T. II. p. 416. qui & de hoc Psalterio notabilem I. F. Mayeri locum affert ex eius Hist. Vers. Luth. p. 11. Conf. quoque doctas Ven. Bœneri annotationes de hac Psalterii editione in Bibl. Sacrae Longianæ P. II. Cap. IX. p. 232. (*)*

Ibid. not. (h)

Dann in diesem Jahr 1526. kamen auch schon — die Propheten Habacuc und Jonas verteuftscht / mit einer kurzen Erklärung heraus.) In servit usibus meis libellus iste : *Habacuc Propheta cum Annotationibus Marti. Luthe. Iohanne Lo-niceri*

(*) Conringius in Epist. grat. ad Duc. Augustum, p. 67. meminit voluminis, in Principis Bibliotheca existantis, quod A. 1524. Wittenb. per Melch. Lotterum, titulo communè Vet. Test. editum est. Sed conf. notam tuam (g) p. 23.

nicero interprete 1526. 8v. In ultimo folio additur: Argentorati Ioh. Knoblouch excudebat, Anno 1526. Mens. Aug. Lonicerus illum inscripsit D. Telamonio Suffraganeo Episcopi Basil. Argentorati 1526. En, ibi ait, divum Habacuc Prophetam, Lutheri Scholiis illustratum, meis vero qualibuscunque vigiliis latinitate donatum, tibi dedico. Dedicacionem sequitur versio latina Prophetæ secundum Hebræum fontem. Hinc Lutheri Annott. præmissa verbosiori præfatione eiusdē, cuius initium est: Scholiis divinum hunc illustrare vatem, ideo in animum induxi, quo & ipse semel tandem aprico gauderet &c. Seckendorf. in Hist. Luth. Lib. II. §. XXI. p. 55. sq. edit. lat. & L. II. §. XXVIII. p. 786. sq. coll. p. 2780. hunc commentarium, quem non minoris æstimandum esse & eruditionis & pietatis dicit, ac comment. Lutheri in Ionam, qui eodem anno prodiit, quantum satis est, recenset, atque latine versum T. IV. Lat. Witt. opp. Luth. fol. 622. sqq. extare ait. Ex quibus patet, eodem A. 1526. & versionem Habacuci & Ionæ German. & commentarios in utrumque germanicos, & versionem Annotationum Lutheri in Habac. latinam Lonicerianam lucem vidisse.

Die



Ad pag. 24. not. (i)

Die Propheten der Widertäufer Ludw. Hetzers
und Joh. Denckens) De Prophetarum versio-
ne Germanica Hetzeriana peculiarem com-
mentationem, in literis ad me nuper datis
memini pollicitum Te esse proxime emis-
surum, quam avide omnes, qui accuratio-
nem tuam norunt, mecum expectabunt.
Ipse ego paucula de ea attuli in Fasc. I. Syl-
loges meæ p. 210. sqq. & postliminio ve-
niā apud Te, eius rei gratia, deprecari
necessum habeo. Addatur interim ad alle-
gati ibidem Prodromi Krafftiani paginam
6. eiusdem quoque pag. 44. & 47. conf. Mait-
taire Ann. Typ. T. II. p. 684. sq. Ven. D. Boer-
nerus in Bibl. Sacr. le Long. P. II. C. IX..
p. 205. Bibliorum Lutheri cum figuris, Ar-
gent. apud Wolfg. Köphl. 1530. impres-
sorum, meminit, addens, hanc editionem
nequaquam omnes libros sacros, ut titulus
falso refert, ex Lutheri Versione, sed ma-
gnam partem Prophetarum & libros Apo-
cryphos à Luthero illo tempore nondum
editos, ex alterius, forte Hetzeri, translatione
exhibere. Quod ipsum & à Te p. 41. not. (q)
observatum video. Kilianus Leib, Prior Reb-
dorfensis, in epistola ad Conradum Adelman-

Tom. I. Fasc. II.

Eē

num



num ab Adelmansfelden, (z) de Sacra Scriptura diffonis translationibus , ex Rebdorff. An. 1539. d. 27. Iunii scripta , & præmissa ipsius Adelmanni (a) ad lectorem epistola , Anno M. D. XLII. in 4t. decem foliis absque loci indicio, edita, rarissimeq; obvia, nec , quantum memini, ab aliis commemorata, sed in Lutherum , & qui eius doctrinam sequuntur, valde iniuriosa, lit. B. 4. b. *Quod nos, inquit, Isaiae nono cap. de parvulo Ihesu legitimus. Et vocabitur nomen eius ammirabilis, consiliarius , Deus, fortis, Hetzer quidam, qui & ipse non sine Iudeis, Prophetas in Germanicam Lin-*

(z) Eius manus titulo exempli mei sequentia verba adiecit. „ Venerabili concionatori lau— „ Conradus Adelman ab Adelmansfelden „ vid. de eo Iac. Burckhardi Comment. de Ling. Lat. fatis in Germ. P. I. p. 242. & P. II. p. 270. 275. conf. Schelhornii Amœn. Lit. T. V. p. 83. Ceterum Adelmansfelden vicus est Evangelicæ nunc religioni addictus , ac quatuor fere milliaribus à Patria mea, Hala Suevica, & uno alteroque lapide distat ab oppido Elwangen , in Franconiæ collimitio ; habetque arcem , quæ, ni fallor, sedes olim fuit Domitorum ab Adelmansfelden.

(a) In qua se Canonicum ac Cellarium Augustensem vocat; conf. Burckhardus ll. cc.



Linguam convertit, ita dixit de puerō,
vnd er hanſt Wunderbar / Rath / Starck / Held/
dictum est in ſuperioribus nomen Hebraicūm
אֵל El, & D E V M ſignificare, & fortem.
Hetzter igitur ſicuti reor Iudaeis (b) gratificatu-
rus, pro eo, quod nos, Deus, fortis, legimus, ipſe
Starck / Held / tranſtulit. Idem paucis interie-
ctis de Hetzero ſcribit: Hetzer (credo iu-
daiffans) id quod ex Ieremia (cap. 31.) iam
recens adductum eſt, ſic vertit: Der hErr hat
etwas newſ auff Erden geſchafft / nemlich / das
auß aim Weib/ ain Man werden würde. Hac ille
portentosa interpretatione huius vaticinii dulce
atque Christianum certe, & catholicum ever-
tit, & obtexit mysterium. Obiter addo & alium
locum circa finem epistolæ reperiundum.

Ego, ait Leibius, iam annis plus quin- „
quaginta duobus, ſacros audivi atque le- „
gi libros, legi quoque & vidi eruditorum „
commentaria, nonnihil operæ, linguis, „
Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæque diſcen- „
dis impendi, vidi atque *animadverti* eam, „
quæ tibi tedio ac moleſta eſt, translatio- „

Ee 2

num

(b) Conf. Lutheri tract. de Schemhamphoras,
Wittenbergæ 1543. 4t à Georg Rhau excus.
lit. O. 2. b. de Iudæorum astutia circa hoc di-
ctum Iefalianum.

„ num varietatem. Intendi tum animum,
 „ ut ex Hebraicis atque Chaldaicis, Sacrae
 „ Scripturæ assequerer veritatem. Demum
 „ hoc tempore id, quidquid est, quod vi-
 „ debar asscutus de Scripturæ mysteriis,
 „ congessti in unum, ut hiis meam fidem,
 „ eorumque qui curæ commendati sunt
 „ meæ, adversus Iudaismum, qui forsitan
 „ hac errorum tempestate, nonnullis modicæ
 „ fidei hominibus, placet, contraque hæ-
 „ reses atque schismaticorum deliria ac ca-
 „ lumnias, Deo adiuvante tueri queam.
 „ Hæc ipsa, cum hisce, ad tuam mitto ex-
 „ cellentiam, ut te iudice cognoscam, re-
 „ stene, & chartas impenderim & atra-
 „ mentum. Liceat tuæ prudentiæ quid-
 „ quid recte se non habet, expungere, nam
 „ universim, paratus sum cedere, catholice
 „ sapientibus &c. Hactenus Kilianus Leib.
 Si quid horum, Zeltnere reverende, am-
 plius exploratum TIBI est, quæso me eius
 rei data occasione fac certiorem.

Ibidem.

Lutheri Brief an Wenc. Linck — vom Dol-
 metschen / den gedachter Linck zuerst ediret) Al-
 torfio vestro hanc felicitatem debeo, quod
 exiguo a me pretio comparatum possideo
 volu-



volumen (c) quartæ formæ , quo diligens illo ævo possessor pleraque *Lutheri* sic dicta *Autographa* collegit , quæ A. 1530. prodierunt , quanquam & haud pauca insint , quæ aliis annis edita , & ab aliis auctoribus profecta sunt . Hic etiam hæc ipsa *Lutheri* Epistola extat , h.c. Ein Gendbrieff D.M. Luthers von Dolmetschen und Fürbit der Heiligen. M.D. XXX. Constat foliis decem ; Wenceslaus Linck Præfatus illi est Norimbergæ die 15. Sept. eiusdem anni. Scripsit illam *Lutherus* ex Eremo (d) octava Septembris 1530.

Ee 3

Ad

(c) Cuius fronti agglutinata sunt nescio cuius insignia pereleganter picta , addito infra versu :
Ultimus ad mortem post omnia fata recursus.

(d) i. e. ex arce Coburg , quod iam p. 419. ex Christ. Schlegelii vita lo. Langeri §. 49. p. 98. probavi , ubi tum *Lutherus* aliquantis per degit , ut Theologis Augustæ Vindel. in comitiis cum Electore agentibus , quando Confessio Aug. Carolo V. exhibebatur , esset propior , ceu Schlegelius loquitur , qui & §. L. p. 112. quædam non vulgaria de hac ipsa *Lutheri* epistola annotavit , uti & fusius , in sequentiis paginis , de ceteris scriptis à Lutherò in arce Coburgensi elucubratis , ibidem egit ,



Ad pag. 25. init. & in not. (k)

Esaias, 1528. 4to Wittenberg ohne Drucker)
 Digna sunt verba ipsius B. Lutheri & Cel.
 Bunemann, (e) quæ hic locum habeant.
 Ille in epistola, primum ab hoc viro doctissimo edita, & ad Gerhardum Villscampum,
 quem & Lampadarium ibi vocat Lutherus,
 XX. Octobr. 1528. scripta: *Nunc, ait, missam Iesaiam recens natum Germanum, sed ita distracta sunt exemplaria, ut ipse nullum pro me habeam.* Ad hæc ita commentatus est Cl. editor. Possideo, inquit, rarius hoc autographum inscriptum: *Der Prophet Iesaiä deutsch. Wittenberg 1528. 4. Versio hæc prima in quibusdam locis proprius ad Hebraicos fontes accedit, notulisque marginalibus est paullo instructior. Versiones haec inter se collate usum (f) nonnulluna habere possunt. Hæc ille. Ipse rursus Megander circa finem præfationis suæ, Scholiis suis*

(e) In Bibl. Hist. Phil. Theol. quæ Bremæ editur, Class. I. Fasc. II. obs. V. p. 139. & 145.

(f) Eandem observationem ex Mayeri Hist. Vers. Bibl. Luth. p. 29. 30. adduci video in le Long Bibl. Saer. P. H. C. IX. p. 204. Confer quæ supra p. 425. ex Schelhornii Amœn. Lit. T. II. p. 415. sq. annotavī, cuius & sequentia verba legi merentur.



suis in Esaiam, Vitebergæ 1534. 8. à Io. Lufft excusis, præmissæ, hæc habet: Porro genus dicendi, si eum (lesaiam) in sua lingua loquenter audias, elegans & copiosum est. Quia autem nulla Latina translatio adhuc extat, quæ aliqua ex parte Hebraicam sententiam clare & perspicue reddat, commodissime fecerit lector, si se ad nostram Germanicam referat, in qua ita sudavimus ad sententiam perspicue reddendam, ut existimemus, candidum lectorem nostrum laborem probaturum esse. Sic ipse Lutherus.

Ibid. & in nota (n) coll. p. 24. in not. (h)

Zacharias der An. 1528. 4to — erschienen) Discrepantiam opinionū, quas viros doctos fovere hic deprehendis, aliis, 1527. aliis 1528. Zachariæ versionem primum fuisse editam à Lutherō, existimantibus, docte concilias ipse, & utrumque annum locum habere posse, ostendis p. 113. in supplementis libri tui doctissimi.

Ibid. in fin. (p. 25.)

Nachdem der sel. Dan. (errat. typogr. rectius David) Chyträus in seinem Onomastico, welches er unter dem Mahmen Theophili Lebæi das erstmal An. 1557. edirt / nach diesem aber seinen rechten Mahmen in andern Editt. dazu gesetzt.)

Possideo duas huius libri editiones, quarum prior hoc gaudet tit: *Onomasticon theologicum, recens recognitum, à Theophilo Lebeo (g) Wittebergæ Anno 1557. 8.* In fine lego: *Excudebat Ioh. Crato, impensis Cunradi Ruelii.* Præfatio scripta est *Francofordiæ ad Menum*, die XVI. Sept. A. 1557. Altera editio, Wittebergæ à Clemente Schleich & Anton. Schön 1578. 8. impressa, auctior est, eundemque habet titulum. Dedic. ad D. Ioh. Schieldorpium Episcopum Bergensem in inclyto Regno Noruegiæ scripsit David Chytræus (quod ipsum nomen ibi reperitur in hac edit.) Rostochii prid. Natalis Filii DEI,
incho-

(g) In hac editione locus à te productus nondum legitur, etsi lemma MACCABÆI adest, quod fuisse deductum deinde fuit in edit. 1578. p. 484. -- 486. ubi ille locus articulum finit. Idem locus integer etiam ex Chytræi Onomast. profertur in Le Long Bibl. Sacr. P. II. C. IX. p. 202. Observo tamen, in verbis: *oratio propria & purissima*: omissum esse τὸ: εἰ purissima. Allegatur in Longii Bibl. I c. huius Onomastici p. 896. sine dubio Operum Chytræi Tomi secundi, in quo illud reperiri, ait Schüzius l. c. Lib. I. p. 160. Ceterum miror, inter tot libros Dav. Chytræi, Wittebergæ impressos, quorum plerisque

inchoantis Annum 1578. Subiecta est ista præfatio A. 1557. exarata, quam paulo ante memoravi. Agit de hoc Onomastico, variisque eius editionibus, verbose, erudite & candide Vir Cl. Otto Frid. Schützius in vita Dav. Chyträi, Lib. I. §. XXXII. p. 155 — 161. coll. Lib. II. §. XC. p. 552. qui & L. I. p. 159. in nota dicit, *Theoph. Lebei* nomen alludere ad prænomen autoris, *David*; atque p. 161. ita paragraphum concludit: „Nec operam perderet, aiens, qui novam eius „

E e 5 (Ono-

que sum instructus, nullum, quod sciam, in officina Lufftiana excusum esse, cuius rei causa Phil. Melanchthoni forsan adscribenda est, qui & ipse parcus Lufftii prelis usus fuit, qui que Chyträi scripta nonnulla, quæ vivo Philippo Wittebergæ excusa sunt, nominatim eius Præcepta Rheticæ inventionis, 1556. & Onomasticon Theol 1557. Io. Cratoni impri menda dedisse videtur, sibi à Chyträo sine du bio transmissa, quod Schütziū l.c. semel iterūq; ostendisse memini. Vnde factum deinde est, ut Cratonis eiusque hæredum officina plerosque Chyträi libros eorumq; iteratas editiones iure quasi sibi vindicaret; quamvis & videam, aliquos typis Clementis Schleichii, rursus alios Ioh. Schwertelii, alios denique Petri Seitzii & Matthæi Welack, qui omnes typographi Witteb. fuerunt, fuisse exscriptos.



„ (Onomastici) editionem , ex recentioribus libris passim correctam & locupletatam curaret , præsertim cum huiusmodi compendiario libro caremus , quo res Biblicalæ cum Ecclesiasticis coniunctæ sunt . „ Addit tamen statim : Sed quis tandem herculeum illum laborem suscipiet ? aut cuiusnam sumtus in tanta novorum librorum mole sperare licebit . „

Ad p. 26. med.

Als vorgedachter Melchior Lotther — vermutlich nach seines Vatters Tod / sich wiederum gegen dem Anfang des 1525sten Jahrs nach Leipzig zurück gewendet) Destruis iterum ipse hanc coniecturam tuam , VIR integerrime , in mantissa vitæ Lufftianæ adiecta , p. 112. sq. Saltem hanc non primariam caussam abitus Lottheri ex Vitemberga fuisse , putas , quod patris nuper demortui officinam impressoriam aditus , Lipsiam redierit . Substituis ergo , ducem secutus Lutherum , (h) verisimiliorem ; illum scilicet apud Principem male traductum esse . Conf. quæ Tv ipse p. 12. in nota

(h) In Epistola ad Spalatinum 13. Dec. 1524. data , quæ extat T. II. Epistolarum Lutheri edit. Aurif. f. 232.b.



nota (b) de Lottheri *abitu* annotasti, & quæ ad p. 30. Comment. tuæ de Deuteronomio Mosis, Lutheri Annott. illustrato, & 1525. apud *lo. Lufft* impresso, infra à me dicentur; unde coniectura hæc tua haud paullum confirmatur, Lottherū sub initium A. 1525. Wittemberga discessisse, quia non parvi momenti librum Latinum eodem anno Lutherus *lo. Lufftio* nunc dedit excudendum.

Ad pag. 27. not. (r)

Sja ich erinnere mich noch weiter hinaus bis 1536. bei ihm gedruckte Bücher gesehen zu haben) Fornan & Ge. Wicelii Apologiæ recordaris, Lipsiæ 1535. à Melch. Lotthero excusæ, de qua supra p. 386. ad pag. 12. not. (b) huius doctissimi libri tui, paucis egi.

Ibidem.

Maittaire Annales — der — die bekannte Epist. Nic. I. an Kayser Michaël u. a. m. — 2mal angeführt hat.) Hoc volumen, quod Lipsiæ 1536. 4. ex officina Melch. Lottheri editum est, Maittairium in Tom. II. p. 841. & 853. adeoque bis, allegasse, ipse observavi, cum illam epistolam, quæ de supplicio Thomæ Mori agit, in sectione secunda huius fasc. recudi iuberem, ad quam & conferri possunt ea, quæ de Thoma Moro in hoc ipso volumine à Lotthero excuso, continentur.

Ad



Ad pag. 30. med.

Obwohl -- zu vermuten -- daß er mehr scripta Lutheri gedruckt.) Non vane auguratum TE esse, Vir summe Rever. demonstrat liber latinis literis, eodemque sermone, à Ioh. Lufftio impressus, cuius ipse felix possessor sum, cuiusq; hæc est rubrica: *Deuteronomion Mose cum Annotationibus. MART. LVTHER. Wittemb. 1525. 8.* In extremo folio typographus nomen suum addidit, hoc modo: *Wittembergæ apud Ioh. Lufft. An. Domini 1525.* Recenset illum Seckend. in Hist. Luth. Lib. II. §. VIII. p. 24. sqq. coll. Lib. III. §. XIV. p. 36. & indice III. ad a. 1525. Sed alio forsitan tempore plura de hisce dicendi se offeret occasio, ubi & secundum ea, quæ p. 108. in not. (c) elegantissimæ tuæ descriptionis vitæ Lufftianæ, rectissime scripsisti, verbosius de libris nonnullis, in officina Ioh. Lufftii excusis, quos TIBI haud visos esse, deprehendo, bona cum venia tua differam; ex quibus nunc saltem Casp. Peuceri Commentarium de præcipuis generibus divinationum nominatim profero, quem cum gratia & privilegio Cæsareo Witebergæ excudebat Io. Lufft, An. M. D. LXXX. 8. qui liber iis illustrandis idoneus est, quæ p. 105. not. (x) docte

doctè commentatus es , addens , vix te recordari librorum , qui A. 1580. & sequenti tempore , à Lufftio typis exscripti sint, ultimumque TIBI visum, quem & possideas , esse parum Casp Peuceri modo dicti librum de dimensione terræ 1579. 8. à Lufftio excusum.

Vale, VIR maxime Venerande, & quæ bono animo hic protuli , boni etiam æquique consule, atque alias forte reliqua, quæ chartæ angustia nunc non capit, ad commentationem tuam eruditissimam , qualibuscunque meis annotationibus illustrandam , pertinentia, cum symbola quadam mea *Catalogo librorum, in officina Io. Lufftii excusorum, concinnando, inserviente, benevole expecta,* meque interim, quod facis, favore tuo prolixissimo , & sincero, quem luculenter adhuc expertus sum, amore prosequi perge. Dab.

Halæ Suevorum d. IX. Iul. A. R. S.

M. DCC. XXVII.



VI. NO-

VI.
NOVA LITERARIA
 cum observationibus
 variis.

NORIMBERGAE.

Lucem nuper admodum vidit Actorum Eru-
 ditorum & Curiosorum Franconiae,
germanica lingua editorum, Pars Sexta, in cuius
Sectione septima, p. 417. sqq. Ioan. Sebastiani
 Stedleri, in Academia Equestri Christian-Erlangensi, Mathematum Professoris, Tractatio
 copiosa magni Problematis de invenienda Lon-
 gitudine maris, ex MS. recensetur. In huius
 capite V. (l. c. p. 431.) de Observationibus Astro-
 nomicis Simonis Marii, qui A. 1609. Mundum
Iovialem detexit, docte agit auctor clarissimus.
Annotarunt tamen iam alii non contemnenda
de Sim. Mario, inter quos praecipue mihi no-
minandus venit Georgius Paschius, cuius de In-
ventis Novis Cap. VII. §. VII. p. 534. sq. edit.
auctioris, evolvi meretur. Cum aliquando ami-
ci beneficio Simonis Marii scriptum, raro hodie
occurrentis, curioso oculo inspexerim, iuvabit
eius excerpta nonnulla cum L. B. communicare.

Mun-